V. VI

DR. ERNST DARMSTAEDTER
No. 1447
COLLECTION



EX LIBRIS

Dr. ERNST DARMSTAEDTER

Digitized by the Internet Archive
in 2017 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b28775429



Ex ruderibus hortorum Tiburtinorum Pisonum apud clariss. Equitem Iosephum Nicolaum Azaram, Regis Hispaniarum apud Romanam Sedem Administrum

D. Cagnoni sc.

CHARACTERVM ETHICORVM
THEOPHRASTI
ERESII
CAPITA DVO
HACTENVS ANECDOTA

QVAE

EX COD. MS. VATICANO SAECVLI XI

GRAECE EDIDIT LATINE VERTIT

PRAEFATIONE ET ADNOTATIONIBVS

ILLVSTRAVIT

IOHANNES CHRISTOPHORVS
AMADVTIVS



PARMAE

EX REGIO TYPOGRAPHEO

MDCCLXXXVI

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

ADAMO . CZARTORYSKIO

PRINCIPI · CELSISSIMO

DVCI · SVPREMO · PEDITVM

APVD . IOSEPHVM . II . IMP· AVG

CENTVRIONI · COHORTIS · PRAETORIAE · HALICIAE

QVI

MILITAREM · DISCIPLINAM

PACIS · STVDIIS · CONTEMPERANS

ET · VETVSTISSIMVM · GENVS · SVVM

A · IAGELLONIIS · LITVANIAE · DVCIBVS

ET · POLONIAE · REGIBVS · PROMANANS

PROPRIIS · VIRTVTIBVS · ILLVSTRANS

SCIENTIAS · SVBLIMIORES · IMPENSE · COLIT

ET · GRAECAM · LINGVAM · PRAESERTIM

ARABICAE · TVRCICAE · SLAVAE · RVSSICAE

CETERISQVE · NVNC . VIGENTIBVS

QVAS · MIRE . CALLET · CONIVNGIT .

CAPITA · DVO · ADHVC · ANECDOTA

CHARACTERVM · ETHICORVM

THEOPHRASTI · ERESII

EX · COD· MS· VATICANO · SAECVLI · XI · ERVTA

LATINE · REDDITA · ET · ADNOTATIONIBVS · AVCTA

IOH. CHRISTOPHORVS · AMADVTIVS

OBSEQVII · SVI · TESTIFICANDI · GRATIA

MVSARVM · PATRONO · SPECTATISSIMO

LIBENTI · MVNERE · OBFERT

IOHANNES CHRISTOPHORVS
AMADVTIVS

IOHANNI BAPT. BODONIO

TYPOGRAPHO

CAROLI III HISP. REGIS

ET PRAESIDI TYPOGR. REGIAE PARMENSIS

SALVTEM PLVRIMAM DICIT

Sinas, Bodoni humaniſsime, me meis lucubratiunculis decus aliquod a typis tuis omnium Italiae noſtrae elegantiſsimis mutuari. Tu is es, qui Manutiorum, Junctarum, Raymundiorum, aliorumque noſtratium typographorum

gloriam ſupergreſsus nominis tui immortalitatem aliis omnibus, quae tecum coniungantur, commodare facile poſsis. Verumtamen ne quid typorum tuorum dignitati impar proponerem, opportunum duxi id excudendum committere, quod et Theophraſti nomine, et ſcriptis, et anecdoti operis pretio, et moralis philoſophiae placitis, et graeci idiomatis nobilitate ita commendaretur, ut nullum prorſus ab ipſa additamentorum meorum exilitate, aut etiam inconcinnitate verendum eſset detrimentum. Macte virtute, Bodoni ſpectatiſsime, eo quo coepiſti, pede perge; qui ſis deinceps etiam honeſtarum ar-

tium, et litterarum, tum et Italiae decus longe amplificaturus. Interim sic statuas velim, multos te habere posse observantia, et amicitia tibi coniunctissimos, neminem vero, qui se mihi hoc nomine praestare posse confidat. Vale.

Datis Roma idibus Martiis Caesariana caede insignibus anno Mdcclxxxvi.

AD CLARISSIMVM

ET ἙΛΛΗΝΙΚΩΤΑΤΟΝ VIRVM

SIMONEM CHARDONIVM ROCHETTEIVM

IN SENATV PARISIENSI

CAVSSARVM PATRONVM

IOHANNIS CHRISTOPHORI AMADVTII

PRAEFATIO

I

Ea aetate vivimus, Vir clarissime, qua non facile liceat in hominum conspectum descendere, nisi quis aut par tantae luci, aut tantorum virorum, quibus synchronos nos esse iuvat, iudicio aequalis censeatur. Quae ergo nunc huius saeculi sive severiorem censuram, sive exquisitiorem perceptionem minus reformi-

dent, non alia quidem esse videntur, quam quae cum publici boni ratione, cum rei novitate, atque adeo cum ipso politioris elegantiae oblectamento coniungantur. Vt hoc ergo nunc mihi quoque assequi contingeret, e re duxi quid ex graecae vetustatis, et philosophiae penu derivare, quod dignum saeculo hoc frugifero, dignum te ipso etiam foret, quodque simul rei dignitate additamentorum quoque meorum tenuitatem a censorum *ἀκριβείᾳ* pene subduceret. Habe quapropter capita duo nondum edita characterum ethicorum Theophrasti Eresii, quae quidem cum mores respiciant, quod ad philosophiam praecipue pertinet, et cum celeberrimi Graeciae philosophi nomen praeseferant, quod materiae pretium addit, cumque etiam rei novitate commen-

dentur, quod ad tenendas hominum mentes plurimum valet, nae ego decipior, si haec citra exspectationem meam a litteratis viris excipiantur. Gratissima enimvero haec saltem tibi futura confido, tum ob eam, qua me prosequeris, humanitatem, et benevolentiam singularem, tum ob subactum, et ingens tuum in graecas litteras studium, quo Budaei, Petavii, Mercerii, Salmasii, Montfauconii, aliorumque olim de Hellenica Minerva in Galliis optime meritorum exempla imitanda tibi proposuisse videris; quemadmodum coaevorum tuorum, Ginii [1] nimirum, Theilii [2], Rochefortii [3], Villoisonii [4], aliorumque popularium tuorum longe illustrium, quorum opera Athenae ipsae Lutetiam Parisiorum nunc adductae videntur, praeclarissimam glo-

riam alacriter aemulandam suscepisti. Siquidem a Ginio, ut Homeri Odysseam gallice redditam habemus, ita et Iliadem, et cetera opera splendidissimis typis excusa propediem exspectamus; Theilius accurata interpretatione, qua Aeschyli Orestem, Callimachi poemata, et aliquot Plutarchi opuscula suis iam communicavit, de Aeschyli etiam reliquarum tragoediarum versione proxime edenda nos recte sperare iubet; Rochefortius, qui nunc universum graecum theatrum gallice insonans exhibere aggreditur, Euripidis tragoedias, ab aliis adhuc intactas, vertendas sibi vindicavit; ac tandem a Villoisonio, cui Apollonii Sophistae lexicon graecum homericum publici iuris factum, et plura graeca anecdota ex regia Parisiensi, et Veneta sancti Marci bibliothecis

deprompta accepta referimus, Homeri rhapsodiam integriorem, et anecdotis auctam scholiastibus, ut et reditum ex Asia non sine opimis graecorum cimeliorum opibus praestolamur. Ast quid non exspectandum a te, cuius studiosa itinerum ratio, et peracuta manuscriptorum codicum disquisitio eo prospiciunt, ut graecae praesertim Anthologiae epigrammata, aliaque graecorum poetarum analecta recognoscas, quae dein aucta, meliorique in lumine collocata maiorem et a Brunckio ipso, ceteroquin graece scientissimo, qui nuper hanc Spartam exornavit, habere potuisse tum copiam, tum illustrationem, patefacient. Sed iam ad rem venio.

II

Tu quidem non ignoras pro tua in graecanica eruditione praestantia, pri-

mum omnium Bilibaldum Pirckeymherum edidisse Theophrasti characteres cum sua ipsius latina versione [5]; dein vero Andream Cratandrum cum interpretatione Angeli Politiani [6]; hincque Iohannem Oporinum ad tramites superioris editionis [7]; nec tamen umquam his tribus vicibus ultra priora XV capita opus adductum fuisse. Neque etiam tibi incompertum, Iohannem Baptistam Camotium ex ms. codice postea omnium primum litterato orbi communicasse octo alia characterum Theophrasti capita, quibus eadem ad XXIII processerunt [8]; quemadmodum post subsequutus est Henricus Stephanus, qui etsi eadem capita, ex levitate quadam, et inani ostentatione, ab antiquo libro a se deprompta in epistola ad Petrum Victorium prodiderit, non

aliunde tamen, quam ex Camotiana editione, constat derivasse [9]; quemadmodum ad Stephanianae editionis normam eosdem Theophrasti characteres dein recudendos curarunt Leonardus Lycius [10]; novam tamen addens versionem, novasque animadversiones; Claudius Auberius Triuncurianus [11] novae et ipse versionis, notarumque criticarum auctor; Fridericus Morellius [12] partim Politiani versionem usurpans, et emendans, partim suam proferens; et Fridericus Sylburgius [13] passim coniecturas, emendationesque proprias adspergens. Hinc vero prodiisse nosti Isaacum Casaubonum, cui etiam primum contigit numerum characterum Theophrasti iterum amplificare, qui nimirum reliqua quinque capita a XXIII usque ad XXVIII protulerit [14],

eadem mutuatus ex codice ms. Palatino, nunc Vaticano [15], exscriptore Marquardo Frehero, qui eidem apographum communicavit. Nihilominus tamen, quamquam plures medicas manus huic operi dein admoverint, et praesertim Nicolaus Heinsius, qui opera omnia Theophrasti accurate edidit [16], tum qui eidem successerunt, Iohannes Schefferus [17], Thomas Galeus [18], et Ericus Bencelius [19], quorum editiones litteratorum manibus teruntur; hincque Petrus Needhamius, qui hos characteres cum vetustissimis manuscriptis collatos recensuit, notas adiecit, et, adscitis quinetiam Casauboni, et aliorum notis, ac emendationibus, tum et Iacobi Duportii praelectionibus in XVI dumtaxat priora capita prelo commisit [20]; Iohannes Cornelius Pauvvius, qui et hos

characteres recudit [21], retenta Casauboni versione, et suis additis adnotationibus; Iohannes Cunradus Suartius, qui cum multa ex ingenio audacter immutasset novam insuper latinam versionem cum Buchneri notulis exhibuit [22]; ac tandem omnium postremus Iohannes Fridericus Fischerus, qui indicem graecolatinum, et suas adnotationes eisdem apposuit [23]; nemo prorsus usque adhuc fuit, aut fuisse cognovi, cui datum fuerit vel accuratiores, vel locupletiores codices nancisci, quibus ethici Theophrasti characteres caput XXVIII, quo hactenus absolvebantur, superarent. Neque etiam, qui accesserunt Pirckeymhero, Politiano, Furlanio, Trinacuriano, Lycio, Casaubono, et Suartio, aliarum linguarum interpretes in hoc opere amplificando fe-

liciores exstiterunt. Novimus enim italicam versionem XVIII dumtaxat capitum dedisse Ansaldum Cebam [24]; tum aliam XXVIII capitum conditam nostra aetate accepimus a Leonardo Riccio [25]. Iohannes Bruyerius quidem post Hieronymum Beneventanum Theophrasti characteres gallice reddidit, novosque ex sua gente petitos, non autem ex Graecia superaddidit [26]; quemadmodum nuper nova forma Theophrastum gallice loquentem, ast non meliori fortuna Levesquius induxit [27]. Quid vero commemorem anonymi anglicam versionem, quae a Fabricio laudatur, quaque non nisi adhuc cognitum Theophrasti opus Britannis familiarius efficitur? Postremo tandem etsi Isaacus Vossius [28] promiserit, se hos characteres pluribus locis meliores daturum,

et illustraturum notis; Thomas Galeus eosdem a Vossio ipso auctiores, et emendatiores exspectare nos iusserit; et eorumdem loca nonnulla illustraverit, et emendaverit Claudius Salmasius [29], Iohannes Clericus [30], Palmerius [31], Lambertus Bosius [32], Iohannes Iacobus Reiskius [33], Christianus Adolfus Clotius [34], et Ioachimus Kuhnius [35], tamen nemo horum fuit, qui post Casaubonum, inter tot typographica exemplaria saepius ingesta [36], characterum ethicorum Theophrasti numerum auxerit.

III

Nobis ergo nunc licuit esse tam felicibus, quibus nempe contigerit offendere codicem bombycinum Vaticanum optimae notae, atque adeo omnium Theophrasteorum antiquissimum [37], in quo XV

capita characterum moralium dumtaxat continentur, sed incipiendo a cap. XVI, et usque ad XXX procedendo [38]. Quare duo heic exstant capita, quae nemo adhuc publici iuris fecit, quaequae nos, ut et in codice inscribuntur, XXIX et XXX appellabimus, secluso scilicet a capitum recensione prooemio. Ea vero hunc gerunt titulum, nempe *κθ′* sive XXIX *περὶ φιλοπονηρίας, de malorum amicitia*, et *λ′* sive XXX *περὶ αἰσχροκερδείας, de turpi lucro*; qui quidem tituli antea etiam innotuerant ex codicibus Palatinis, et Cantabrigensi, ut prodit Fischerus, et ut a nobis inferius monendum occurret. Codex porro Vaticanus neque unius aetatis est, neque eiusdem scripturae; siquidem plura continet ad diversos pertinentia, scilicet Hermogenis artem rhetoricam,

Aristotelis categorias, Ioh. Doxapatris rhetoricas homilias in Aphthonii progymnasmata, Aphthonii ipsius progymnasmata, Hermogenis iterum artem rhetoricam, excerpta ex libris Philostrati de vita Hermogenis, Hermogenis ipsius opusculum *περὶ εὑρέσεως προοιμίων*, *de inventione prooemiorum*, epigramma in Hermogenem, *διαίρεσιν προοιμίων καθ' Ἑρμογένην κ. τ. λ. divisionem prooemiorum secundum Hermogenem etc.*; Ioh. Doxapatris *ἑρμηνείαν σύντομον εἰς τέσσαρας τόμους Ἑρμογένους*, *interpretationem brevem in IV sectiones Hermogenis*, Theophrasti characteres [39], Ammonii philosophi *ἐξήγησιν τῶν πέντε φωνῶν*, *expositionem in quinque voces* (Porphyrii), ipsius Porphyrii isagogem, rursus Aristotelis categorias, aliaque eiusdem, quae haud iuvat singillatim innuere.

IV

Hunc quidem codicem ante nos contrectaverat iam Prosper Petronius Barensis, bibliothecae Alexandrinae in Romano archigymnasio praefectus, vir multa sane eruditione, et libris editis illustris, qui ante diem XII kalendas Martias anni CIↃIↃCCLXXXIII vitam cum morte commutavit. Hic cum unus esset ex iis, qui Diarium Romanum litterarium apud Palearinios cusum concinnabant [40], iudicium ibidem [41] tulit de Pauvviana, cuius supra meminimus, editione characterum Theophrasti, simulque recepit, se novam exhibiturum eorumdem characterum editionem triplo auctiorem ex codice ms. Vaticano, quo et nos pro re nostra usi sumus. Contulerat etiam (ut ab eo in vivis agente accepimus) codicem ms. Bar-

berinum [42], ex quo nonnisi quasdam variantes lectiones extraxerat; siquidem careret hic duobus postremis capitibus anecdotis, quibus instructus est laudatus codex Vaticanus. Nec intactum reliquerat codicem alterum Palatino-Vaticanum [43], in quo praeter aliquot lectionum varietates, quas ipse collegerat, videre etiam est post caput XV quod est *περὶ ἀνθαδείας*, *de asperitate animi*, adnotationem ab aliquo forte amanuensi additam, quam habet etiam codex ms. saeculi XV bibliothecae Mediceo-Laurentianae [44], quamque clarissimum virum Angelum M. Bandinium [45], post Casaubonum [46] edidisse comperimus. Hanc nobis etiam ex altero hoc codice Palatino-Vaticano rursus exhibere nunc libet, quandoquidem aliqua donetur lectionum varietate, cui in ima ora locum

faciemus, addita insuper latina versione, a qua se abstinuit Casaubonus, et cl. Bandinius. Sic ergo amanuensis, vel quisquis alius Theophrastum sapientem vitiorum sui temporis reprehensorem allocquitur:

Ἀλλ' ἔστιν, ὦ Θεόφραστε, χαλεπὸν καθαροὺς τῶν τοιούτων ἰδεῖν ἐν τῷ βίῳ, καὶ τῆς ἐν τούτοις κακίας ὅλως ἀφεστηκότας· εἰ μὴ γὰρ τὰ πάντα δοκοίη τις εἶναι κακὸς, τοῖς γοῦν πλείοσι τοῦ χοροῦ τῶν ἀρίστων ἐξεώσται· ἢ τοίνυν σοι πειθομένους [47] ἡμᾶς τὰς ἀπάντων ὄψεις φυλάττεσθαι δεῖ· ἢ κοινωνοῦντας καὶ λόγων, καὶ πραξέων τὴν ἑκάστου γνώμην [48] μιμεῖσθαι; ἀλλ' οὕτω μὲν κακίας ἐσμὸς καὶ ἀρετῆς ἀλλοτρίωσις ἔσται [49]· ἐκείνους [50] δὲ ἡ μισανθρωπία, καὶ τοῦ Τίμωνος ἔγκλημα. Ταύτῃ τοι καὶ χαλεπὸν ἑλέσθαι τὸ κρεῖττον· καὶ δεινὸς ἑκατέρωθεν ὄλισθος.

At est, o Theophraste, difficile mundos ab huiuscemodi pravis adfectionibus conspicere in hac vita, et a vitiositate, quae in his inest, omnino abstinentes; nisi enim quoad omnia quis videatur esse malus, in pluribus certe a choro optimorum expulsus est. An igitur tibi obtemperantes nos omnium visiones cavere oportet, an participantes et sermonum, et operum uniuscuiusque sententiam imitari? Sed sic quidem vitiositatis multitudo, et virtutis alienatio erit. Illos autem odium hominum, et Timonis accusatio (manet). *Sic et difficile assequi melius, et gravis utrimque lapsus.*

Sane amanuensis, aut adnotator quivis alius, humanae naturae conditionem respiciens, et ad ignoscendum paratior, quam ad carpendum, id protendere voluisse videtur, mediocritatem quamdam

in hominum moribus, et gestis esse quaerendum, quae ut abest a vitiorum extremis, sic a virtutis qualicumque specie, ac possessione, qua saepe nos contentos esse decet, cohonestatur. Quare ubi vitiorum cumulus, et quasi agmen confluit, quin ulli virtuti locus pateat, ibi dumtaxat hominum amarulentia, et Timonis censura merito ex eius sententia se exerat. Siquidem non alius heic intelligendus veniat, quam Timon philosophus, de quo loquitur Diogenes Laertius [51], quique ab ipso dictus est ὁ *μισάνθρωπος*, *hominum osor* [52]. Vitae enim, et studiorum severitas ea est, quae saepe homines in ceteros inclementiores faciat; et sane Timon fuit, teste Laertio, *φιλόκηπος, καὶ ἰδιοπράγμων, hortorum studiosus, et solitudinis amans*, ut proinde nil mirum, si fuerit

quinetiam ὀξὺς νοῆσαι, καὶ διαμυκτηρίσαι, *acri ingenio ad percipiendum, atque ad irridendum promptus, et vehemens*, et Arcesilaum ipsum in sillis carpserit. Praeterea fuit (quod quis primario advertisset) ἑτερόφθαλμος, *unoculus;* quod quidem corporis vitium saepe animo notam inurere, aut saltem homines dicaciores, utpote semper ad reponendum paratos, efficere experientia didicimus. Nec etiam heic omittemus tetrastichon, quod habet idem codex hoc loco, quodque pertinet ad Diogenem Laertium, qui illud in Theophrasti vita adduxit [53], atque ita se habet:

Ουκ ἄρα τοῦτο μάταιον ἔπος μερόπων τιν' ἐλέχθη,
Ῥήγνυσθαι σοφίης τόξον ἀνιέμενον.
Δὴ γὰρ καὶ Θεόφραστος, ἕως ἐτόνει μὲν, ἄπηρος
Ἦν δέμας, εἶτ' ἀνεθεὶς κάτθανε πηρομελής.

Hoc tetrastichon, quod etiam adduxit Maximus Planudes [54], tres habuit poeticos latinos interpretes, Ambrosium, forte Camaldulensem, graece scientissimum, qui et Laertium latine vertit, Curionem, et Erasmum, quorum versiones adductas praesertim a Iohanne Sotere [55] hic iuvat repetere. Quare prima ita se habet:

Non arcum frangi sapientis posse remissum
Vana haec nullius verba fuere viri.
Dum fuit intento Theophrastus corpore, vixit,
Corpora sed postquam fessa remisit, obit.

Alteram nunc accipe [56]:

Haud vane quidam, studiis si forte relaxes,
Rumpi arcum dixit, quisquis homo ille fuit.
Nam vegetus Theophrastus erat, firmusq; labore,
Laxavit postquam membra labore, obiit.

En iam tertia procedit, quae mihi fidelior visa est:

Ni foret intentus, sapientis frangier arcum
Veridici sane verba fuere viri.
Namq; opere assiduo valuit Theophrastus, et idem
Laxato studio, membra solutus obit.

Video quinetiam tum in codice Palatino-Vaticano, tum in editionibus omnibus graecae Anthologiae haberi in primo versu *τιν' ἐλέχθη*, cum in Laertii editionibus, quae apud me sunt [57], legatur *τινὶ λέχθη*.

V

Sed, indicato iam apparatu omni, quo ad Theophrasti editionem animum applicuerat Petronius noster; quo hoc ipsius consilium processerit, videndum nunc est. Impressionem ipse iam inchoaverat; at quo anno, quibusque Romanis typis, ignoro. Illud tantum scio, ab ipso intermissam, nec ultra tria, ut aiunt, folia adductam fuisse. Horum quidem exem-

plar, ceteris ad thus, et piper amicien-dum divenditis, in manus nostras post eius obitum venit, ubi hunc titulum ap-positum vidimus. ΘΕΟΦΡΆΣΤΟΥ ἘΡΕ-ΣΊΟΥ ἨΘΙΚΟ͂Ι ΧΑΡΑΚΤΗ͂ΡΕΣ. *THEO-PHRASTI ERESII ETHICI CHARA-CTERES PROSPERO PETRONIO INTERPRETE.* Auspicatur a prooe-mio, apposito graeco textu e regione latinae suae versionis, quae nobis accurata, et ele-gans visa est. Expleto prooemio, sequuntur *τὰ σωζόμενα κεφάλια τῶν* ΘΕΟΦΡΆΣΤΟΥ *ἠθικῶν χαρακτήρων, capita, quae quidem ad nos pervenerunt, ethicorum characterum THEOPHRASTI;* quemadmodum in co-dice bibliothecae Cantabrigensis Collegii Trinitatis prooemium ipsum sequebatur indiculus capitum, quorum duo postrema erant nostra, quae nunc primum edun-

tur: quod invenire etiam contigit Casaubono in codicibus Palatinis, ut monet Fischerus in postrema sua ad laudatum prooemium adnotatione. Capita haec usque ad XXX progrediuntur, ac proinde *κθ'* inscribitur *περὶ φιλοπονηρίας*, cui respondet XXIX *de amore erga improbos*, et *λ'* inscribitur *περὶ αἰσχροκερδείας*, cui pariter respondet XXX *de turpi lucro*. De ceteris, quae praecedunt, etsi ab ipso diversa ratione aliquando interpretatis, haud laboramus. Quare in tribus hisce foliis in octo partes divisis, quae apud nos sunt, invenire est dumtaxat duodecim priora capita integra, decimo tertio paucis lineis ad calcem intercepto [58]. Cur vero ipse hanc editionem iam inchoatam abruperit, incompertum mihi est, qui eum incusantem modo acceperim typographi negligen-

tiam, modo sui ipsius occupationes, et tarditatem, quique de typorum instauratione non desperantem se insuper exhiberet. Erat sane ipse huiusmodi operi non impar, qui alia graecanicae eruditionis specimina dederat, ac praesertim Sophoclis Electram graece et latine ad optimorum codicum fidem summa cura recensitam [59], et nonnulla Callimachi epigrammata anecdota, et ex codice ms. Palatino-Vaticano graecam Anthologiam continente excerpta, quae in Ephemeridibus litterariis Palearinorum [60] excusa habentur, quaeque etiam seorsim edenda cum suis adnotationibus ibidem [61] pollicitus fuerat, quin fidem suam umquam liberaverit. Qua vero ratione triplo auctior editio haec Theophrasti characterum ab ipso reddi posset, omnino me latet; nam praeter laudata duo

capita anecdota, et praeter nonnullas lectionum varietates, ex tribus ab ipso expensis codd. mss., quos superius innuimus, collectas, nihil aliud praesto eidem fuisse cognovimus. Eo autem vita functo, fratris filii manuscripta ipsius adversaria tulerunt, nec quid de iis contigerit, scire potuimus.

VI

Quare nos integram horum characterum editionem iis perficiendam relinquentes, quibus otium, et facultas adsit, illud dumtaxat nunc curabimus, ut duo illa, quae memoravimus, anecdota capita publici iuris fiant: quod quidem praecipue litterariae Reipublicae interesse potest. Cur enim citra necessitatem ea reponantur, quae iam satis pro dignitate a summis viris exornata in omnium manibus ver-

santur? Haec ergo exhibere nobis religio erit ad autographi fidem, prout pro typorum recentium forma licebit. Ceterum ad elegantiam cum *αὐθεντίᾳ* coniungendam id consilii cepimus (quod nemo improbabit) ut per nos lacunarum vestigia, et siglae nonnullae in adnotationes reiicerentur, dum in textum recipimus, quae nos subroganda prudenter censuimus. In adnotationibus modicos esse studuimus, quibus nihil aliud curare visum fuerit, quam ea monere, quae ad faciliorem textus tum emendationem, tum intelligentiam conducere poterant. Scimus enim doctiores facile aversari ingentes illas eruditionum strues, aut potius farragines, quae vel ab aliis centies repetita, vel subtilius expensa ad satietatem usque ingerant. Latinam versionem quinetiam ita

confecimus, ut nec ad sensum facta videretur, nec anxiam ad textum adhaesionem exprimeret. Nam si prior versionis ratio adhibeatur, facile est induci obscuritatem quamdam, vel etiam suspicionem, qua quis graecae linguae syntaxes, et regulas ab interprete ignoratas criminetur; quemadmodum si posterior usurpetur, siccam, ieiunam, inelegantem, et ab utriusque linguae ingenio alienam versionem consequi necesse est. Vtinam nobis media via, quae tutior habetur, incedere datum fuerit.

VII

Quoniam vero ita statuimus, ut in adnotationibus parci simus, nonnulla heic praemonere e re duximus, quae XXX capitis pericopen cum XI iam edito communem expendant, et illustrent. Exstat ergo in capite XI, quod est *περὶ βδελυρίας, de impuri-*

tate, sive *moribus impuris*, ut vertit Casaubonus, sive *de scurrilitate*, ut Petronius noster [62], locus quidem satis prolixus, qui impuritatis argumento absonus ad vilis raudusculi, et sordidi quaestus vitium declinat. Locus hic incipit *καὶ οἰνοπωλῶν κ. τ. λ.*, et desinit *παῖδες μὴ λάβωσι*, paucis exceptis variantibus lectionibus, et integris etiam aliquot periodis circa ipsius pericopes calcem superinductis, ut suo loco patebit. Casaubonus certe id persensit, dum inquirens in vocem *βδελυρίας*, et in rectam ipsius interpretationem sic loquitur: *Non enim satis mihi facit vox* obscoenitas: *quoniam animadvertimus, iocos, ludosque, qui hic recensentur, non omnes esse obscoenos, neque ea turpitudine infectos, quae castas, pudicasque aures solet offendere, ut erant illa, quae in Fescenninis versibus, et Atellanis solebant*

usurpari. Multa, inquam, hic continentur, inhonesta illa quidem, sed sine obscoenitate, et αἰσχρολογίᾳ, turpia tamen nihilominus, et μύσους ἄξια, quod proprie sonat vox βδελυρός. Ac notat scholiastes Aristophanis, βδελυρὸυς Athenis fuisse vocitatos homines infames, ut sunt lenones, et id genus: itemque τοῦς ἀνελευθέρους, hoc est eos, qui prae avaritia turpissimis sordibus delectarentur: quod pulchre facit ad multa, quae hic commemorantur. Sed nemo melius huius pericopes *ἀτοπίαν*, sive inconvenientiam attigit, quam Ansaldus Cebà horum characterum italicus interpres, quem supra commemoravimus [63]. Hic enim postquam *βδελυρίαν* abominationi respondentem fecisset [64], addubitare coepit, an ob rerum heic simul collectarum discrepantiam huiusmodi pericope ad aliud caput pertineret, et

praesertim ad caput IX *περὶ ἀναισχυντίας, de impudentia;* quemadmodum quid simile ab amanuensibus peccatum in capite V *περὶ ἀρεσκείας, de blanditia* cum Casaubono suspicatur, cuius partem ad caput XXI *περὶ μικροφιλοτιμίας, de sordida, et inepta laudis cupidine* [65], sive *de gloriolae aucupio*, ut Petronio nostro vertere placuit [66], facile revocari posse existimavit. Sed praestat ipsum audire, quomodo suam ipsius suspicionem [67] in re nostra prudenter prodat: „ *E vendendo* „ *vino ec.* Io ho talvolta dubitato, se'l rima- „ nente di questi caratteri fosseno bene allo- „ gati nel presente capitolo; perciocchè con- „ siderandoli d'uno in uno, mi pareva di rav- „ visarci quella sozzura di guadagno, che „ Teofrasto ha posto per obbietto della sfac- „ ciataggine: senza ch'io non sapea scorger- „ ci così visibilmente quello scherzo, ch'egli

„ ha assegnato per genere dell'abomina-
„ zione: onde, tra questo, e per simile ri-
„ mescolamento avvenuto nel capitolo *περὶ ἀρεσκείας*, m'era quasi caduto in men-
„ te, che, per ignoranza del proprio, fos-
„ sono stati da chicchessia riposti in luogo
„ straniero; e che dirittamente avessero a
„ riconducersi sotto il capitolo della sfac-
„ ciataggine, là dove pare, che Teofrasto
„ intenda a caratterizzar coloro, che non
„ arrossano di studiare a così fatta sottilità
„ di guadagno; ma, riguardata poi meglio
„ la forza, e l'uso della voce *βδελυρὸς*, e ri-
„ mirati quasi per un altro lato i caratte-
„ ri, che mi recarono la cosa in dubbio,
„ m'è paruto alla fine, che non istieno men
„ bene nel presente capitolo, che sareb-
„ bono stati in quello della sfacciataggine;
„ imperocchè, senza l'interprete d'Ari-

„ stofane, che nota *βδελυρὸυς* essere anco-
„ ra stati chiamati *τὸυς ἀνελευθέρους*, l'au-
„ tore del grande etimologico spone la vo-
„ ce *βδελυρὸς*, *ὁ ἀναιδὴς*, *καὶ πανταχόθεν*
„ *ἕλειν*, *καὶ ἁρπάζειν βουλόμενος*, cioè a di-
„ re *sfacciato*, *e che vuole donde che sia trar-*
„ *re a sè*, *e rapire;* e questa significazione,
„ secondo che egli dice, par che venga al
„ predetto nome, in quanto deriva *παρὰ τὸ*
„ *βδέλλειν*, che appresso gli Ateniesi vale-
„ va quello stesso, che *ἀμέλγειν*, che vuol
„ dire *mungere*, o pure *παρὰ τὴν βδέλλαν*,
„ che vale a dire *mignatta*, o *sanguisuga;*
„ onde poi s'è fatto il verbo *βδέλλειν*, o
„ *βδάλλειν*, nel sentimento di mungere. E
„ però da questa seconda etimología del-
„ la voce *βδελυρὸς*, derivata nel modo pre-
„ detto, ho veduto assai aperto, che 'l ri-
„ manente di questi caratteri, in quanto

„ dizziferano persona, che studia a trarre, e
„ quasi a mungere in qualunque modo gua-
„ dagno da ogni cosa, si confanno anche
„ ottimamente al nome di costui. Oltrechè,
„ ponendo mente a certo inganno, che in
„ simili brutture egli fa a coloro, onde
„ trae il guadagno, ci si scorge ancora as-
„ sai espressamente quel cotale scherzo, o
„ gabbo, che Teofrasto ha ordinato per ge-
„ nere di questo vizio. Nè mi par da tacere,
„ che nell'*abbominare* de' Toscani ha ezian-
„ dío talvolta, o tanto, o quanto questo se-
„ condo sentimento d'avarizia. Giovan Vil-
„ lani nel settimo parlando de' capitani
„ dell'oste Fiorentina, che avean data bat-
„ taglia alla città d'Arezzo: *ma quando do-*
„ *veano combattere feciono sonare la ritira-*
„ *ta; onde furono abbominati, chè 'l fecero*
„ *per guadagneria*. E, come che mi paia

„ d'essermi anche avvenuto al solo nome,
„ senza consolazione d'altre parole, tutta-
„ vía al presente non può sovvenirmene
„ il luogo. „ Haec quinetiam in ceteris, quae subsequuntur, ingeniose prosequitur, quaeque et subdere iuvat [68]: „ *Il dà inac-*
„ *quato all'amico*. La beffa sta in fregarla
„ all'amico. Il C. F. interpreta questo luo-
„ go *vinum vendens etiam amico dilutum*
„ *dabit*. Dalle quali parole si trae forse sen-
„ timento diverso da quello delle greche;
„ perciocchè la giunta dell'*etiam* mostra
„ questo esser piuttosto carattere d'un so-
„ lenne avaro, che nel civanzarsi non la
„ risparmi allo stesso amico, che d'un ab-
„ bominevole, che, ciò facendo, gabbi
„ l'amico; come pare, che si tragga dal
„ modo del parlar greco, che non ha *καὶ*
„ *τῷ φίλῳ*, ma *τῷ φίλῳ*, et in somma nel-

„ le parole latine parmi, che la villanía
„ verso l'amico intenda piuttosto a signifi-
„ care trascendimento d'avarizia, che di
„ beffa; la qual cosa non è intendimento di
„ Teofrasto in questo capitolo, nel quale,
„ per quel che mi creda, non son riposti
„ questi caratteri d'avarizia, se non in
„ quanto appaiono in essi cotali scherzi
„ abbominevoli; se già (senza mirar sem-
„ pre a quel gabbare posto per genere di
„ questo vizio) non si dicesse, che Teo-
„ frasto intende semplicemente ne' presen-
„ ti caratteri a significar cotali eccessi d'a-
„ varizia, ond'altri era anche chiamato
„ βδελυρὸς dagli Ateniesi; il che non sa-
„ rebbe forse il maggior peccato del mon-
„ do, non essendo nè anche gran peccato
„ il non volere stringersi in questo così
„ fatto trattato de' costumi a certe sottilità

„ di dar dottrina, che son richieste in più „ isquisita maniera d'insegnamenti „. Quibus sane rebus nihil ingeniosius ab homine, cui nihil innotuisset de XXX nostro capite *περὶ αἰσχροκερδείας*, *de turpi lucro*, ubi laudatam pericopen insertam habet codex Vaticanus, dici umquam potuisse, nemo non videt. Neque sane concinniori in loco huiusmodi pericope collocari poterat, neque alibi ab eius auctore inscriptam fuisse patet, quam ubi de sordido quaestu ex professo ageretur.

VIII

Interim mirandum venit, cur Cebà noster, vir sane acutus, et eruditus, quam qui alius, interpretationem suam non ultra XXIII caput produxerit, etsi eius italica versio cusa fuerit Genuae anno CIↃIↃCXX, quo tempore (ut ex dictis su-

perius [69] patet) capita characterum ethicorum Theophrasti a Casaubono usque ad XXVIII extensa fuerant, eaque ex Lugdunensibus typis anni CIↃIↃXCII iam prodierant; quae sane editio Cebeam interpretationem XXVIII annorum spatio anteverterat. Tum eo magis hoc mirari contingit, quod Cebà ipse in adnotationibus suis saepius ad Casauboni emendationes, et observationes, ut ex adductis modo eiusdem adnotationibus constat, provocare non dubitet: quod sane prodit, ipsum Lugdunensem, aut etiam duas alias posteriores editiones ea tempestate peractas agnovisse. Forte noluit senex illud opus perficere, et integrare, quod iuvenis haud ex omni parte absolutum tractaverat; siquidem patet ex eius ad Card. Federicum Borromeium dedicatione, hanc versionem

iuvenilibus annis ipsum adornasse [70], quo tempore forsitan nondum Casauboni additiones innotuerant. Ceterum et ex specimine, quod quis habeat in adductis pro re nostra eiusdem adnotationibus, et ex universo eius opere (quod sane non obvium est), facile colligere licet, ipsum perquam idoneum reliquis capitibus tum vertendis, tum exponendis, si voluisset, futurum.

IX

Quare ex iis, quae per nos nunc edentur, non solum Cebae suspicio de loci inconcinnitate quoad laudatam pericopen confirmationis robore munietur, verum etiam haec ipsa pericope, quae hucusque interpretibus crucem fixit, ab alieno loco amovebitur, eique opportunior sedes, in qua collocetur, novis adductis capitibus adhuc desideratis, sponte occurret. Hac

ratione quinetiam ille minuetur moeror, quo tenentur eruditi, ob deperditam partem illam operum Theophrasti, quam memorat Diogenes Laertius [71], quaeque erat *περὶ ἀρετῶν, de virtutibus*. Hanc nimirum, quam meliorem iure appellat Casaubonus [72], portionem huius, quae est de vitiis, fuisse existimat. Etsi enim reipublicae summopere intersit, vitia dignosci, publicari, et irrideri, multo tamen dulcius, ac optabilius virtutes exponi, ingeri, et commendari, quibus probi homines delectentur, tum et ceteri alliciantur. Non tam ergo honorificum fuerit Italiae nostrae protulisse strenuum scriptorem, qui de criminibus, et poenis nova ratione disseruerit, Caesarem nempe Beccariam, quam dedisse etiam fere uno tempore egregium virum, qui de virtutibus, et praemiis

luculenter, splendideque tractaverit, Hyacinthum nempe Dragonettium, cui meo quidem iudicio utraque palma philosophos, quos Iuppiter meliori luto confinxerit, plaudere par sit. Ceterum, quemadmodum Cebà noster observat [73], multo facilius est rem inchoare ab iis, quae frequentiora sunt, ut vitia, quam ab iis, quae rariora occurrunt, ut virtutes; ut proinde Theophrastus opus auspicatus fuerit quinetiam ab εἰρωνείᾳ, *a simulatione*, quae ut vitiorum omnium agmen ducit, ita etiam tamquam vitiorum omnium teterrimum in hominum societate haberi solet. Verumtamen si res probe introspiciantur, non minus dixerimus, Theophrastum vitia insectatum fuisse, quam praedicasse virtutes; siquidem qui vitia condemnat, is uno tempore oppositas iisdem virtutes

laudare videatur. Quare hinc factum, ut Christianus Augustus Krigelius opusculum non ita pridem ediderit *de Theophrasto optimo fidei coniugalis magistro* (74); quod ad nuperrimum notationum Theophrasti editorem Iohan. Fridericum Fischerum, quem supra laudavimus, direxit. Praeterea haec etiam, quae a nobis nunc exhibentur, id efficere poterunt, ut maiora adsint argumenta, quibus Petri Victorii refellatur sententia, qui horum characterum *ἀυθεντίαν* in dubium revocavit (75), tum et ipsius Ioh. Iacobi Reiskii, non ita pridem vita functi, infirmetur opinio, qui mediae graecitatis proprium censens, vocem *ἰσχυρὸς* pro *ἀνδρείῳ* poni, more latino, quo *fortis* tam pro *ἀνδρείῳ*, *τολμηρῷ*, *θυμώδες*, *strenuo*, quam pro *robusto*, *toroso*, *lacertoso* adhibetur (76), idcirco facile asseruit, vi-

deri sibi multo recentiorem characterum Theophrasti auctorem, et quidem e saeculo Iuliani apostatae [77]. Ast, praeterquamquod obiectum hoc levissimam difficultatem praefert, Casaubonus iam elegantissimum locum adnotaverat [78] ad caput VI *περὶ ἀϖονόιας*, *de desperatione*, seu *de vecordia*, ut placet Petronio nostro [79], quem ille censet ex iis unum, qui huius libelli vetustatem arguant; quemadmodum atticismos, qui habentur ut elegantiores graecae linguae modi, perplures deprehendit [80]; quamvis femella olerum venditrix ipsum tamquam hospitem Athenis salutasset, qua quidem appellatione sibi longum Athenis incolatum, quin politiorem urbis dialectum, vel potius pronunciationem arripuisset, exprobrari sensit [81].

X

Quae cum ita se habeant, bene actum dixeris, vir clarissime, hisce postremis temporibus cum Theophrasto nostro, cuius, praeter duo haec anecdota capita, innotuerit non ita pridem libri X *de historia plantarum* fragmentum multo longius, quam in editis, quod habetur in duobus Mediceo-Laurentianae bibliothecae codicibus [82], quodque cum latina interpretatione cl. viri Iani Planci Ariminensis, iam vita functi, praeceptoris nostri sane doctissimi, et de nobis optime meriti, ad ipsius Tyrtami dictionem, qui ab Aristotele Euphrastus, et Theophrastus dictus est, quammaxime accedente, publici iuris fecit vir eruditione, et editis libris spectatissimus, nostrique amantissimus Angelus M. Bandinius, laudatae bibliothecae

praefectus [83]. Accedit insuper ad praeclaras Theophrasti fortunas, quod nuper etiam e terrae sinu eruperit vetus marmoreum monumentum, eius effigiem, nomenque graece exaratum exprimens. Siquidem inter rudera Tiburtini secessus Pisonum, quibus maxime familiaribus usus est Horatius Flaccus, ad annum CIↃIↃCCLXXVIII effossi sint hermae faberrime sculpti, qui nempe praeseferant vultus Sophoclis [84], et Carneadis, ambo quidem anepigraphi, sed ex aliis tamen indubiis eorumdem formis agnoscendi, quibus adiungebantur Alexandri Macedonis [85], Epicuri, Metrodori, aliorumque hermae elegantissimi, et graeco lemmate inscripti, inter quos cernitur praesertim herma Theophrasti Eresii, tum ex epigraphe, qua donatur, tum ex aliis

eiusdem vultibus maxime perspicui [86], quosque omnes penes se habet vir amplissimus aeque ac doctissimus Iosephus Nicolaus Azara Celtiber, eques Ordinis a Carolo III Hispaniarum Rege instituti, eiusque apud Romanam aulam administer, cuius beneficio, et humanitate erga nos, Bodoniumque nostrum factum est, ut veteris huius Theophrastei vultus accuratus ectypus aere expressus heic nunc afferatur ante opusculi huius frontem conspiciendus. Vtinam ad triplex hoc fortunae bonum, quod hoc tempore Theophrasto contigisse gratulamur, accessisset inventio commentariorum Maximi Planudis in characterum ethicorum libellum, quos in bibliothecis Italicis exstare Cunradus Gesnerus, et Leonardus Lycius nunciaverant! Vtinam insuper hoc ipsum

fortunae bonum imminutum non videatur ab opera, quam eidem Theophrasto illustrando a me nunc navatam habes! Ast quoniam tibi, tamquam Polycli alteri has meas vigilias inscriptas volui, sic liceat mihi quinetiam te ita nunc alloqui, ut olim Theophrastus Polyclem censorem suum alloquutum accepimus [87]: Σὸν δὲ παρακολουθῆσαί τε, καὶ εἰδῆσαι εἰ ὀρθῶς λέγω. *Tuum erit ad ea, quae dicam, animum advertere, et an recte dicam, pernoscere.* Hoc sane sperare me iubet singularis tua in me humanitas, ac benevolentia, quam ut a me numquam desiderari velis, et ut ab aliis pro iudicii tui pondere mihi impetres, etiam atque etiam rogo. Vale.

ADNOTATIONES.

(1) pag. 3 *Monsieur Gin conseiller au grand-conseil à Paris.*

(2) pag. 3 *Monsieur la Porte du Theil de l'academie des belles-lettres.*

(3) pag. 3 *Monsieur de Rochefort de l'academie des belles-lettres.*

(4) pag. 3 *Monsieur Jean-Baptiste Caspar d'Ansse de Villoison de la même academie.*

(5) pag. 6 Θεοφράστου χαρακτῆρες *cum interpretatione latina per Bilibaldum Pirckeymherum, iam recens edita. Norembergae per Ioh. Petreium ann. 1527.* Exstat et in operibus eiusdem Pirckeymheri *Francofurti ann. 1610* pag. 214. Nulla nec primae, nec secundae editionis mentio apud Fabricium. Rit-

tershusius in vita Pirckeymheri (*Oper. Francofurt. ann. 1610* pag. 15) ita ait: *Nec minus festivus, facetus, ac utilis est libellus, qui inscribitur*, Theophrasti characteres ethici, *quem libellum a comite Mirandulano Iohanne Francisco Pico, ex Italia nactus graecum latina interpretatione sua illustratum primus edidit inscriptum familiari suo Alberto Durero*. Epistolam dedicatoriam affert Ioh. Frider. Fischerus vir cl. in praefatione ad eius editionem characterum Theophrasti, quam infra citabimus. De hac prima editione, et de subsequentibus eadem praefatio consulenda, ubi omnia accuratissime exposita habentur.

(6) pag. 6 *Basileae mense Sept. 1531* in 8. Cunradus Gesnerus *Chrestomath. graec.* pagg. 126 et 127 tradit simul editam versionem ab Angelo Politiano elaboratam, quae etiam in catalogo Thuaneo memoratur.

(7) pag. 6 *Basileae 1541* forma maiore. Haec editio inlata est in secundam, tum et in reli-

quas *Eclogarum* Stobaei editiones a Cunrado Gesnero adornatas; quemadmodum eiusdem vitia omnia (adscitis tamen commentario Danielis Furlani, et reliquis capitibus a XV ad XXIII a Camotio) servata sunt in editione Wecheliorum *Hanoviae ann. 1605*.

(8) pag. 6 Inserta habentur tom. VI *Operum Aristotelis, Venetiis ann. 1552 apud Aldi filios, sumtu Federici Turrisani*, cuius praefatiunculam Fischerus in laudata praefatione sua adduxit.

(9) pag. 7 In editione libellorum quorumdam Aristotelis, et Theophrasti peracta *Parisiis anno 1557* in 8.

(10) pag. 7 *Lipsiae ann. 1561*.

(11) pag. 7 Edidit Zuingerus cum libris ethicis Aristotelis *Basileae ann. 1582* forma max. *apud Episcopium*.

(12) pag. 7 *Lutetiae Paris. ann. 1583* in 4.

(13) pag. 7 Inter *Opuscula ethica Aristotelis, Francofurti apud Wechelios 1583* in 4.

(14) pag. 7 *Lugduni ann. 1592* in 8. Editio Casauboni dein repetita est *ibid. ann. 1598, 1612, 1617* (quam teneo, quaeque ut altera anni *1598* latuit Fabricium), et post Casauboni facta *ibid. 1638*, et *Brunsvigiae 1659* in 8, quibus addi potest editio Ioh. Kirchmani *Rostochii* in 8 *ann. 1604* iuxta primam Casauboni, tum editio *Brunovicensis ann. 1658* in 8 iuxta tertiam Casauboni, ac tandem editio Melchioris Schmidii *Helmstadii* in 4 *ann. 1686* iuxta laudatam tertiam Casauboni editionem.

(15) pag. 8 De hoc codice intelligenda sunt, quae Philippus Labeius habet in *Biblioth. nov. mss.* pag. 372 laudans forte eumdem characterum Theophrasti optimae notae codicem, quo usus est Casaubonus, *in quo habentur* (ut ipse ait) *pleraque, quae in excusis desiderantur;* quod sane intelligendum de editionibus ante Casaubonum peractis.

(16) pag. 8 *Lugduni Batav. ann. 1613* in fol.

(17) pag. 8 *Vpsalae ann. 1668* in 8.

(18) pag. 8 Vna cum ceteris opusculis ethicis *Cantabrigiae ann. 1673* in 8, et *Amstelaedami ann. 1688* in 8.

(19) pag. 8 *Vpsalae ann. 1708* in 8, cum indice verborum graecorum Petri Hedelini.

(20) pag. 8 *Cantabrigiae typis Academicis ann. 1712* in 8. Editi etiam sunt hi characteres ex recensione Petri Needham, et versione latina Isaaci Casauboni *Glasguae in aedibus Academicis ann. 1743* in 8, et *Tiguri* in *eclogis 1749* in 8, cum notis Needhamii, mutilatis tamen et interpolatis.

(21) pag. 9 *Traiecti ad Rhenum ann. 1737,* in 8.

(22) pag. 9 *Cuburgi ann. 1740* in 4.

(23) pag. 9 *Cuburgi ex officina, et sumtu Ioh. Caroli Findeisii, ann. 1763* in 8, et *Magdeburgi ann. 1774* in 8.

(24) pag. 10 *I caratteri morali di Teofrasto interpretati per Ansaldo Cebà, al card.*

Federigo Borromeo. In Genova appresso Giuseppe Pavoni 1620 in 4. Huius versionis Fabricius non meminit. Hanc versionem editionemque laudavit Iustus Fontaninius in *Bibliotheca italicae eloquentiae* tom. II cap. II pag. 347 edit. Venetae 1753. Vide, quae de eo scripserunt Michael Iustinianius, ubi de scriptoribus Liguriae, par. I pag. 80 edit. Romanae 1667, et Hieronymus Tiraboschius in *Historia litteraturae italicae* tom. VIII cap. III §. XIX. Eius elogia dederunt auctor operis *De viris illustribus academiae Incognitorum Venetorum* pag. 71 edition. Venetae 1647, et Ianus Nicius Erythraeus in *Pinacotheca* tertia, num. XXX pag. 666 edit. Guelferyten. 1729.

(25) pag. 10 *Caratteri di Teofrasto greco-toscani, colle loro illustrazioni, varie lezioni, e note del senatore Leonardo del Riccio. In Firenze nella Stamperia Mouckiana 1761 e 1763* tom. IV in 12. Haec editio con-

fecta est iuxta Lugdunensem anni 1599 (forte 1598, cuius supra meminimus) collato tamen graeco textu cum quatuor mss. codd. Florentinis, quorum lectiones variae in extrema ora adductae sunt.

(26) pag. 10 *Les caracteres de Théophraste traduits du grec en françois avec les caracteres, ou les moeurs de ce siecle; par M.r Jean de la Bruyere. Paris chez Estienne Michaellet 1696* in 12. Plus decies repetita editio; ac tres postremae cum additionibus Costei prodierunt *Amstelodami IV vol. 1731* in 8, *Lugduni IV vol. 1741* in 8, et rursus *Amstelodami II vol. 1744* in 8.

(27) pag. 10 *Collection des moralistes anciens, imprimée à Paris chez Didot, et Debure l'aîné 1783* in 12. Hic edidit etiam seorsim opera moralia Ciceronis, et Confucii.

(28) pag. 10 In *Notis ad Ignatium* pag. 289.

(29) pag. 11 *Lib. de usuris, commentar. ad Solinum*, et alibi.

(30) pag. 11 In *Arte critica*.

(31) pag. 11 In *Exercitationibus in optimos scriptor. graecos* pagg. 616-621.

(32) pag. 11 In *Epistolis ad Ioh. Albert. Fabricium*, quae sunt in eius vita, pag. 224, ubi se totum Theophrasti libellum editurum promiserat.

(33) pag. 11 Vol. I *Animadvers. ad auctor. graec.* pagg. 96-105.

(34) pag. 11 Eius *Animadversiones in Theophrasti character. ethic.* prodierunt *Ienae ann. 1761* in 8.

(35) pag. 11 In notis, quarum partem Clericus miserat ad Needhamium.

(36) pag. 11 Praeter editiones Fabricio ignotas, quas superius citavimus, adde eas, quae habentur inter scripta Aristotelis, et Theophrasti *Olivae 1587* pag. 83, et in *Thesaur. philosophiae moralis, Lugduni 1589* pag. 92, et *Bononiae 1707 typis Petri M. Montii;* tum editiones *Ioh. Ang. Werdenhagen Lugduni*

Batavorum 1633 in 12, *Coloniae Allobrogum 1613* in 12, *Oxonii 1680* in 12, *Budissae 1690* in 8, *Magdeburgi*, et alibi. His adde VII capita horum characterum edita *Romae apud Benedictum Francesium 1778* in 8, in *Florilegio ex graecis scriptoribus, ad usum Collegii Florentinorum in Vrbe*, cura Francisci Fontanii, qui praefationem apposuit, et a quo Michaelis Glycae epistolas, et novam graecae Anthologiae editionem cum metrica Salviniana versione exspectamus, tom. I pagg. 131–139. Haec praelum tenebant, cum in manus nostras pervenit specimen variarum editionum auctorum veterum graecorum, et latinorum, concinnatum ab Eduardo Arvoodio, et emendatum, auctumque a Maffeio Pinellio veneto, qui et ex anglico in italicum sermonem convertit ediditque *Venetiis anno 1780 typis Caroli Palesii*, ubi invenimus Theophrasti characteres a Iosepho Simpson simul cum enchiridio Epicteti, et Cebetis tabula editos gr. et

lat. *Oxonii anni 1739* in 8, ex qua editione prodiit dein altera *Londinensis anni 1762* in 8. Insuper ibidem adducitur triplex editio eiusmodi opusculorum ethicorum, dempta tamen tabula Cebetis, peracta a C. Aldrichio gr. et lat. *Oxonii ann. 1680, 1702 et 1707* in 8. Tandem ibid. recensetur editio altera *Oxonien. ann. 1754* in 8, quae solos characteres ethicos Theophrasti gr. et lat. continet cum anglicis adnotationibus Nevvtonii.

(37) pag. 11 Signat. num. CX.

(38) pag. 12 A fol. 253 ad 255 β.

(39) pag. 13 Hi incipiunt a pag. 253, et pergunt usque ad pag. 255 β, ut et superius innuimus.

(40) pag. 14 Caietanus Cennius diario huic conficiendo praeerat; adlaborabant vero Michael Angelus Giacomellius, Iohannes Bottarius, aliique.

(41) pag. 14 *Notizie letterarie oltramontane per uso de' letterati d'Italia. In Roma ap-*

presso li Fratelli Pagliarini 1743 tom. II part. II art. XLVII num. IV pag. 350.

(42) pag. 15 Num. 374.

(43) pag. 15 Num. CXXVI.

(44) pag. 15 *Plut.* LXXX cod. XXIII n. I p. 1.

(45) pag. 15 *Catalog. codd. graec. biblioth. Laurentian.* vol. III col. 212.

(46) pag. 15 In fine Adnotationum suarum ad caput XXVIII.

(47) pag. 16 In cod. Vatic. num. CXXVI legitur *πειθομένα*, sed male.

(48) pag. 16 In cod. Vat. *μνήμην*, sed magis arridet lectio codicis Laurentiani.

(49) pag. 16 In cod. Vatic. legitur *ἔχεσθαι*. In codice Naniano membranaceo saec. XVI sign. CCLXVI, in quo inter cetera opuscula Blemmidae, Gregorii Monachi, Damasceni, Basilii Imp. CPni, aliorumque habentur Theophrasti characteres gr. et lat., legitur hoc ipsum additamentum, atque hoc loco, teste cl. viro Ioh. Aloysio Mingarellio, qui graecorum co-

dicum mss. apud Nanios adservatorum indicem confecit, et edidit Bononiae anno 1784 (pag. 454) pro ἔσεϝαι exstat ἔπεϝαι *sequitur*, quod et recte se habet.

(50) pag. 16 Casaubonus monet legendum ἐκείνως, vel ἐκείνοις.

(51) pag. 18 *De vitis philosophorum* lib. IX post vitam Timonis Apolloniatis Nicaei.

(52) pag. 18 Consonat epitaphium Hegesippi, et Antipatri in ipsum, quod habetur in *Anthолog. graec.* lib. III.

(53) pag. 19 Loc. cit. lib. V.

(54) pag. 20 *Anthol. graec.* lib. III cap. XXXIII epigr. XXVII pag. 286 edit. *Henrici Stephani 1566* in 4. Habetur etiam in editione *Aldi Manutii 1550*, et *Flexiae 1624* in 8 *apud Ludovicum Hebert* pag. 289, ubi latine redditur κατὰ λέξιν sic: *Non sane hoc frustra verbum hominum cuipiam dictum est, rumpi sapientiae arcum remissum. Sane enim et Theophrastus, quamdiu laborabat, integer*

erat corpore, postea remittens, mortuus est mutilus. Exstat insuper inter selecta epigrammata graeca, edita a Iano Cornario Zuiccaviensi *Basileae ex aedibus Iohannis Bebelii 1529* lib. III pag. 306, et alibi.

(55) pag. 20 *Epigrammata aliquot graeca* etc. *per Ioh. Soterem collecta. Coloniae 1525* in 12.

(56) pag. 20 Hanc video etiam expressam in latina versione Diogenis Laertii, opera Iohannis Sambuci Tirnaviensis Pannonii, *Parisiis apud Claudium Baaleu 1585* pag. 301, ut et in edit. *Coloniae Allobrogum apud Samuelem Crispinum 1615* pag. 327, quarum utraque mihi nunc est ad manus. Hanc Cornarius in sua *Select. epigramm. graecor.* editione *Basileae* supr. cit. tribuit Bentino.

(57) pag. 21 Vide adnotationem antecedentem.

(58) pag. 23 Desinit in vocibus *πάντες χρησ⟦τ⟧οὶ* ad pag. 48 in 8.

(59) pag. 24 *Sophoclis Electra graece, et lat.; ad optimorum codicum fidem summa cura*

recensuit Prosper Petronius ad usum regiae Neapolitanae Vniversitatis. Neapoli typis Felicis Caroli Muscae 1737 in 8.

(60) pag. 24 Exstant in opere, cui titulus: *Notizie oltramontane per uso de' letterati d'Italia tom. II par. II dal principio di luglio a tutto decembre 1743. In Roma appresso li Frat. Pagliarini*, art. XLIV pagg. 335 et seq.

(61) pag. 24 Ibid. ad calcem pag. 339.

(62) pag. 28 Pag. 43 imperfectae eiusdem edit.

(63) pag. 29 §. II.

(64) pag 29 Pag. 123 ita ait: „ L'autore del „ grande etimologico spone la voce *βδελυρὸς*, „ *ὁ ἀηδὴς, καὶ τοῦ μυσάττεσθαι, καὶ ἀποστρέ-* „ *φεσθαι ἄξιος*, cioè a dire *spiacevole, e de-* „ *gno d'essere fuggito, ed abbominato;* se- „ condo la quale sposizione io ho volgarizzato „ *βδελυρία abbominazione;* riguardando spe- „ zialmente, che in questa voce toscana ha „ talvolta quel sentimento di puzzo, che ha „ nel verbo *βδελύττομαι* de' greci, dal quale

„ o tanto o quanto traggono questi nomi βδε-
„ λυρία, e βδελυρὸς, che per dir vero i modi
„ τοῦ βδελυροῦ sono da fuggire non altri-
„ menti che le cose, che fieramente putono,
„ le quali da' buoni scrittori toscani son tal-
„ volta chiamate abbominevoli. Ma perchè io
„ non mi credo però d'aver del tutto espressa
„ la forza della parola greca, io non tolgo al-
„ trui l'arbitrio di volgarizzarla in altra guisa „.
Leonardus Riccius Florentinus in italica inter-
pretatione, cuius iam meminimus §. II, vertit
βδελυρίαν scostumatezza. Bruyerius gallice
reddidit: *de l'impudent, ou de celui qui ne
rougit de rien*.

(65) pag. 30 Loc. c. pag. 72 ubi ait: „ Non s'ha
„ a mettere in dubbio, che'l rimanente di que-
„ sti caratteri non ha punto che fare co' pre-
„ cedenti, e che, com'avvisa C. F., qualche
„ milenso copiatore, vedendo questi senza ca-
„ po, e quegli senza coda, s'abbia persuaso
„ far senno ad applicarli insieme, e comporre,

„ come si dice, di tutt'erba un fascio: nè io
„ sarei di quelli, che volessi a dispetto del
„ mondo assettarli al dosso *τοῦ ἀρέσκου*, che
„ ciò sarebbe un voler tirare la pelle co' den-
„ ti dov'ella non può giugnere, come fa il
„ calzolaio. Ben è vero, che s'io avessi a recarli
„ sott'altro vizio, io non ne farei nuovo capi-
„ tolo, ma gli aggiungerei a quello *περὶ μι-*
„ *κροφιλοτιμίας*, perciocchè, a prendere *τὸν*
„ *βάναυσον* nel modo, che fa Aristotele nel 4
„ de' cost. a Nic., il titolo *περὶ βαναυσίας*
„ comprenderebbe forse meno che non fareb-
„ bono i caratteri. Scusimi quel dotto inter-
„ prete „. Idest Isaacus Casaubonus, cuius sententiam consule ad hunc locum in adnotat. pag. mihi 161.

(66) pag. 30 Vide Indicem capitum post prooemium pagg. 6 et 7 imperfectae suae editionis.

(67) pag. 30 Loc. cit. pag. 128.

(68) pag. 34 Loc. cit. pag. 129.

(69) pag. 37 §. II.

(70) pag. 38 Ibi sic ait initio: „ Questo libro dopo
„ varie fortune ritornato nella mia mano, vie-
„ ne ora a riconoscere la sua salute dalla vo-
„ stra. Io lo scrissi ne' primi anni della mia
„ gioventù con poca speranza di doverlo ap-
„ provare ne' secondi; ma voi, che n'avete
„ avuta diversa opinione, m'avete anche am-
„ monito di farne differente giudizio „.

(71) pag. 39 In eius *Vita* lib. V.

(72) pag. 39 Vid. Casaubonum in *Prolegomen. ad Theophrasti characteres* pag. mihi 88.

(73) pag. 40 Loc. cit. pag. 30.

(74) pag. 41 *Lipsiae ex officina Langenhemia 1763*. Hoc opusculum aliquot ab hinc annis contrectavimus in instructissima bibliotheca clarissimi viri Iosephi Garampii, quem nuper merito Romanae Purpurae honore insignitum pro exi-
mia sua doctrina, atque etiam in nos humanitate gratulamur.

(75) pag. 41 *Variar. lect.* lib. XVII cap. 7, et *Commentar. ad rhetor. Aristotel.*. Vid. et Fabri-

cium *Biblioth. graec.* tom. II lib. III cap. IX §. XIII pag. 242, et Casaubonum in *Prolegomenis* pag. mihi 84.

(76) pag. 41 Scilicet cap. VIII *Charact. ethic.*

(77) pag 42 *Comment. ad caerim. aulae Byzantinae Constantini Porphyrogenitae* p. 130. Ibidem enim verba *ἀλλ' οὖν ἰσχυρὸς γενόμενος*, quae Casaubonus verterat, *at fuit certe Cassander praepotens*, reddit, *at postquam strenuum se praestitit*.

(78) pag 42 Pag. mihi 194.

(79) pag 42 Vt in Indice capitum post prooemium pagg. 6 et 7 imperfectae suae editionis.

(80) pag. 42 Ex gr. in cap. XVIII habetur *ἀνυπόδητος* attice pro *ἀνυπόδετος*, *discalceatus*. Cap. XVII *ἄξιον* adhibetur, ut eleganter ab Atticis, pro eo, quod emitur bene, et vili pretio. Eodem cap. occurrit etiam *βαλάντιον*, sive *βαλλάντιον*, *sacculus*, quae vox, ut Moeris, et Thomas Magister monent, Atticorum erat propria. Sic etiam cap. XVI occurrit *γαλῆ*, *mu-*

stella, quod vocabulum γαλῆ, monente eodem Thoma Magistro, *Ἀττικόν· οὐ γαλέη*. Multa alia huiusmodi, quae peti possunt ex Lexico Fischeri ad hoc opus, sciens praetereo. Tum et nos nonnulla pro opportunitate adiiciemus in nostris ad capita duo anecdota adnotationibus.

(81) pag. 42 *Dicitur, cum percunctaretur* (Theophrastus) *ex anicula quadam, quanti aliquid venderet, et respondisset illa, atque addidisset*, hospes, non pote minoris, *tulisse eum moleste, se non effugere hospitis speciem, cum aetatem ageret Athenis, optimeque loqueretur*. Cic. in *Bruto* cap. 44.

(82) pag. 43 Codd. III et XXII *Plut.* LXXXV uterque membranaceus in 4, prior saeculi XIV, posterior saeculi XV, de quibus vide *Catalog. codd. mss. graecor.* eiusdem bibliothecae, auctore cl. viro Angelo M. Bandinio, tom. III col. 247 et seqq., et col. 279.

(83) pag. 44 Cit. t. III ad calcem col. 431 usque ad 438. Aliquot exempl. etiam seorsim prodierunt.

(84) pag. 44 Pindari facies in eo agnoscebatur, priusquam in auras educeretur ad templum Pacis, sive ad hortos Carpenses protome, Sophoclis graeco nomine inscripta; qua detecta anno CIↃIↃCCLXXVII, et in museum Vaticanum Pium Clementinum inlata, vera primum patuit Sophoclis effigies, cui perperam palaeophilorum turba Pindari nomen affinxerat, quod Capitolinis hermis duobus hoc ipso vultu donatis etiam haeserat ex vultu eiusdem nomine inscripto in aedibus Iustinianis apud Caninium *Iconographia* tab. XXVIII pag. 54, et apud Gronovium *Thesaur. antiqu. graec.* tom. II p. 60. Hisce argumentis et ego deceptus hermam hortorum Matthaeiorum in eorumdem monumentis tom. II class. VI tab. XLII fig. II pag. 59. Pindari nomine falso salutavi, ut proinde Sophocles ibidem quoque sit agnoscendus; hincque Pindari vultus adhuc desideretur.

(85) pag. 44 Vide Alexandri magni ectypum adductum in opere, cui titulus *Monumenti antichi*

inediti, ovvero Notizie su le antichità e belle arti di Roma per l'anno CIↃIↃCCLXXXIV auctore Ios. Ant. Guattanio perquam erudito adolescente, ad mensem Ianuarium tab. I pag. II, et dein repetitum a viro de Romanis antiquitatibus, et de honestis artibus optime merito Carolo Fea in tom. II operis cl. Ioh. Winckelmannii, quod inscribitur *Storia delle arti del disegno presso gli antichi*, tab. V nuperae Romanae editionis.

(86) pag. 45 Scilicet habetur in delicio Albanio extra portam Salariam herma Theophrasti, antiquis characteribus eius nomen exprimentibus inscriptus, qui antea in aedibus Maximorum in circo Flaminio adservatus in Angliam migraverat, quemque dein a clarissimi Meadii hereditate sibi comparavit Cardinalis amplissimus Alexander Albanius, ac iure postliminii Romam revocavit. In eo sic legitur:

ΘΕΟΦΡΑΣΤΟΣ
ΜΕΛΑΝΤΑ
ΕΡΕΣΙΟΣ

Haec epigraphe ex Morillonio adducta est a Smetio, et dein a Gruterio pag. CCCXXVI num. 3, qui in *Notis* pag. 5 col. 2 ita ait: „ Legendum Θεόφραστος *Μέλανθα Ἐρέσιος*, „ *Theophrastus Melaniae* (*Melanti*) *filius* „ *Eresius*, qui in mentem veniebat Casaubo- „ bono, qui innuit praeterea hunc esse divi- „ num illum Theophrastum Aristotelis disci- „ pulum. Videatur Diogenes „. Vide et apud Gronovium tom. II *Antiqu. graecar.* num. 92. Alter Theophrasti herma anepigraphus exstat in eodem suburbano Albanio; ac tertium insuper habet museum Capitolinum (num. XXIX) quem adduxit clar. Bottarius in tom. I monumentorum eiusdem musei. Vtriusque denominatio ex similitudine cum priore, cuius forma, procul exsistente prototypo, etiam apud Bellorium (*Imag. illustr. philosoph.* part. I n. 38) singulis iamdiu patuit, derivata est.

(87) pag. 46 In prooemio ad *Charact. ethicos.*

THEOPHRASTI ERESII

CAPITA DVO

HACTENVS ANECDOTA

CHARACTERVM ETHICORVM

NEMPE

XXIX ET *XXX*

ΚΕΦ. ΚΘ'.

Περὶ φιλοπονηρίας.

Ἔστι δὲ ἡ φιλοπονηρία [1] ἐπιθυμία πανηρίας· ὁ δὲ φιλοπόνηρός ἐστι τοιοςδέ τις, οἷος ἐντυγχάνειν [2] τοῖς ἡττημένοις, καὶ δημοσίους ἀγῶνας ὠφελημόσι [3], καὶ ὑπολαμβάνειν, ἐὰν τούτοις χρῆται, ἐμπειρότερος γενήσεσθαι, καὶ φοβερώτερος· καὶ ἐπὶ τοῖς χρηστοῖς εἰπεῖν, ὡς γίνεται, καὶ φησὶν, ὡς οὐδείς ἐστι χρηστὸς, καὶ ὁμοίους πάντας εἶναι, καὶ ἐπισκήψαι δὲ ὡς χρηστός ἐστι, καὶ τὸν πονηρὸν δὲ εἰπεῖν ἐλεύθερον. Ἐὰν βούληταί τις εἰς πονηρὸν [4], καὶ τὰ μὲν ἄλλα ὁμολογεῖν ἀληθῆ ὑπὲρ αὐτοῦ λέγεσθαι ὑπὸ τῶν ἀνθρώπων [5], ἕνια δὲ ἀγνοεῖν, φῆσαι μὲν αὐτὸν εὐφυῆ καὶ φιλαίτερον [6], καὶ ἐπίδοξον, καὶ διατείνεσθαι δὲ ὑπὲρ αὐτοῦ,

ὡς οὐκ ἐντετύχηκε [7] ἀνθρώπῳ ἱκανωτέρῳ, καὶ ἔυνους δὲ εἶναι τῷ ἐν ἐκκλησίᾳ [8] λέγοντι, ἢ ἐωὶ δικαστηρίῳ κρινομένῳ· καὶ προσκαθήμενος δὲ εἰπεῖν δεινὸς [9], ὡς οὐ δεῖ τὸν ἄνδρα, ἀλλὰ τὸ πρᾶγμα κρίνεσθαι· καὶ φῆσαι αὐτὸν κύνα [10] εἶναι τοῦ δήμου, φυλάττειν γὰρ αὐτὸν τοὺς ἀδικοῦντας, καὶ εἰπεῖν, ὡς οὐχ ἕξομεν τοὺς ὑπὲρ τῶν κοινῶν συναχθεσθησομένους, ἂν τοὺς τοιούτους προώμεθα. Δεινὸς δὲ καὶ προστατῆσαι φάυλων, καὶ συνεδρεῦσαι ἐν δικαστηρίοις ἐωὶ πονηροῖς πράγμασι, καὶ κρίσιν [11] κρίνων ἐνδέχεσθαι τὰ ὑωὸ τῶν ἀντιδίκων λεγόμενα ἐωὶ τὸ χεῖρον. Καὶ τὸ ὅλον [12], φιλοπονηρία ἀδελφή ἐστι τῆς πονηρίας· καὶ ἀληθές ἐστι τὸ τῆς παροιμίας· τὸ ὅμοιον πρὸς τὸ ὅμοιον πορεῦεσθαι [13].

CAP. XXIX.

De malorum amicitia.

Est malorum amicitia concupiscentia vitiositatis. Talis vero est malorum amicus, qui conveniat victos, et publicis certaminibus obnoxios, arbitreturque, si hisce utatur, expertiorem fieri, et formidabiliorem; tum de bonis dicit, pro ut fit, et inquit, quod nullus est bonus, utpote similes, ut ipse ait, omnes sint, et reprehendit, tamquam bonus ipse esset, malum vero praedicat liberum. Si quis voluerit quo ad (malum), et quo ad cetera confiteri, vera de eo dici ab hominibus, aliqua vero ignorare, dicet quidem ipsum bona indole praeditum, et amiciorem, et bona fama proba-

tum, vires autem intendere pro ipso, quod non inciderit in hominem magis idoneum, benevolos autem esse homines potius in concione dicenti, quam in iudicium accersito; et assidens dicere solet, quod non oporteat virum, sed rem diiudicari; et dicet hunc canem esse populi, observare namque ipsum nocentes; tum dicit, quod non habebimus, qui super communes res condoleant, si tales homines deseramus. Solet autem et praesse improbis, et considere in consiliis super malis rebus, et sententiam proferens excipere quae ab adversariis dicuntur in deterius. Et ut omnia verbo complectar, malorum amicitia soror est improbitatis, et verum est illud proverbium: simile ad simile progreditur.

ADNOTATIONES

AD CAPVT XXIX.

(1) In elencho capitum characterum Theophrasti, quem Prosper Petronius, de quo fusius in praefatione §. IV, subiecit, iuxta codices Palatinos, et Cantabrigensem, prooemio, et cuius aliquot exemplaria typis edita cum prioribus XII capitibus reliquit, *φιλοπονηρίαν* reddit *amorem erga improbos*, quo clarius, et primiore veluti fronte pravorum hominum fautoris mores, quos hoc capite Theophrastus prodit, innueret.

(2) Hoc eodem sensu, licet ob diversam rationem, cap. XXV habetur *ἐνθυ-*

χάνειν τοῖς ἐκ τῆς μάχης ἐσανιοῦσι, convenit e pugna redeuntes.

(3) *Ὀφείλειν* est formula fori Attici, qua nimirum indicatur sponsio, per quam se pro altero quis obstringebat, quique proinde damnabatur ad satisfaciendum creditori pro eo, cuius vice sponderat, nec qui erat solvendo. Recte haec formula ad eos traducta heic est, qui ad publica certamina multae loco damnati sunt.

(4) In codice ms. Vaticano sign. num. CX unde haec extrahere licuit, legitur tantum *εἰς π* , lacuna ab amanuensi relicta, quae explenda erat ab iis litteris, quae forte in antiquiori codice vitio aliquo corruptae oculorum suorum aciem effugiebant, quaeque reddere forte poterant aut verbum *πράγμα*, aut *πονηρὸν*,

quod nos praetulimus, ut ad rem nostram aptius, et argumento convenientius.

(5) In codice nostro legitur *ἀνῶν*, quae compendiariae scripturae ratio occurrit etiam in codicibus unciali charactere descriptis, ac praesertim in codice Viennensi Dioscoridis, iussu Iulianae Augustae ineunte saeculo VI exarato, et in quadam Cretensi inscriptione, ut prodit Gregorius Placentinius in *Epitome graecae palaeographiae* cap. V pag. 47. Quare nil mirum, si in codice nostro bombycino saeculi IX (quod chartae genus ab annis plus sexcentis, immo a saeculo X in scriptionis usum adhiberi consuevit) haec ipsa abbreviatio, ubi sane multo intricatiores habentur, occurrat.

(6) Heic atticismus observandus venit; quandoquidem constat, Atticos formasse

multa comparativa per *αίτερος*, qui proinde *φιλαίτερον* pro *φίλτερον* dixerunt, ut heic nunc Theophrastus, quem nimirum in praefatione §. IX atticam dialectum potissimum usurpasse ostendimus.

(7) Haec vox eo sensu heic accipienda, ut superius. Vide adnot. 2.

(8) Vt excuset sontes, adversus quos in foro, vel in senatu actiones habebantur, fautor malorum hominum asserit, auscultatorum animos magis erga oratorum eloquentiam, quam erga accusatorum sortem esse inclinatos. Siquidem apud Atticos (quod Theophrasti atticismum magis prodit) reorum caussae in concione, sive senatu, expendebantur, qui locus *ἐκκλησία* dicebatur, et in quo conveniebant Athenienses ter singulis mensibus, nempe prima, decima, et trigesima die.

Huiusmodi conciones dicebantur *ἐκκλησίαι νόμιμοι*, vel etiam *κυρίαι*, ut infra patebit, quae aliae erant a *συγκλήτοις extraordinariis*, quaeque non uno in loco semper cogebantur. Quare heic decreta potissimum edebantur, ac signabantur, quod et ipsae decretorum formulae, quae adhuc supersunt, satis ostendunt. Scilicet apud Diogenem Laertium lib. VII seg. 10 in decreto Atheniensium in honorem Zenonis Cittiei innuitur *ἐκκλησία κυρία*, *magistratuum concio*; ut et apud Flavium Iosephum *Archaeologiae* lib. XIV cap. 8 num. 5. in decreto Atheniensium in honorem Hircani Iudaeorum pontificis fit mentio *ἐκκλησίας γενομένης ἐν τῷ θεατρῷ*, *concionis coactae in theatro*. Hic mos etiam Deliis cum Atheniensibus communis fuit; siquidem apud Sponium *Miscellan. erudit.*

antiq. sect. X num. LXX in Deliorum decreto exprimitur ΕΚΚΛΗΣΙΑ . ΕΝ . ΤΩ . ΙΕΡΩ . ΤΟΥ . ΑΠΟΛΛΩΝΟΣ, *Concio in templo Apollinis*; ut et apud Gruterum pag. CV, apud Montfauconium *Diar. italic.* pag. 43, et apud Muratorium *Nov. thesaur. inscript.* pag. DCLXIII in decreto altero Deliorum occurrit ΕΚΚΛΗΣΙΑ . ΚΥΡΙΑ . ΕΝ . ΤΩΙ . ΕΚΚΛΗΣΙΑΣΤΗΡΙΩΙ, *Concio stata in consueto concionis loco*. Quare vel ex allatis monumentis colligere licet, non tam pro poenis, quam pro honoribus decernendis in concione, quae ἐκκλησία a Graecis dicebatur, et a Romanis senatus, vel comitia, edita fuisse; concionem vero variis in locis celebrioribus urbium, praeter consuetum, ac constitutum, fuisse habitam.

(9) Nihil hac voce δεινὸς usitatius apud Theophrastum in hoc opere, quae vox proprie significat *terribilem;* deinde de eo dicitur, qui in aliqua re praestat, et excellit. Verum heic passim usurpatur de eo, qui aliquid facere solet, et cum infinitivo construitur. Ansaldus Cebà vero ita exponit in adnot. ad caput I, ubi legitur *δεινὸς χρῆσθαι, solet uti*. „ La voce „ greca è *δεινὸς*, la quale comecchè s'usi „ il più a dire, ch'altri sia da molto a far „ qualche bella operazione, non pertanto „ e qui, e in altri luoghi di questo libretto „ è posta quasi come per gabbo a divisar „ la valenzía de' mal costumati uomini nel „ commettere delle loro tristizie „.

(10) Nomen canis tribui consueverat a Graecis iis, quos conviciari volebant, atque ut impudentes, et acerbos tradu-

cere. Hinc Achilles asperis verbis ita Atridem increpat apud Homerum *Iliad. A* vers. 225:

Οἰνοβαρὲς, κυνὸς ὄμματ' ἔχων, κραδίην δ' ἐλάφοιο.

Vinolente, canis oculos habens, et cor cervi.

Idem etiam Achilles antea obiurgaverat ibid. vers. 159 Agamemnonem tamquam *κυνώπην, caninum os*, sive impudentem. Nomen *κυνώπιδος* tribuitur etiam a Vulcano Iunoni *Iliad. Σ* vers. 396, et Veneri adulterae coniugi suae *Iliad. Θ* vers. 319, et ab Agamemnone crudeli coniugi suae Clytemnestrae *Iliad. Λ* vers. 423; sicut etiam Helena *Iliad. Γ* vers. 180, et *Δ* vers. 145 se canem appellat, quod passa sit se rapi. Ceterum et ex his locis, et ex Euripide *Electr.* vers. 1252, ubi Parcae, et Furiae vocantur *δειναὶ κῆρες, καὶ κυνώπιδες θεαὶ*, quia hae neminem

verentur, sed improbos improbe tractant, ut et inferius vers. 1342 vocantur *κύνες* citra vituperium, colligere visum est, vocem hanc in veterum libertate, et simplicitate caruisse illa asperitate, et ignominia, quam prima fronte praesefert. Quare, ni fallor, illud mihi visum est, ita hoc loco statui improborum amicum a Theophrasto, ut non aliud velit, quam clientem suum in iudicium vocatum exhibere tamquam custodem, et vindicem alterum eorum, qui ut sontes accusati erant, sicuti canis custos est domus, vel gregis. Hinc apud Homerum *Iliad. K* vers. 183 de Graecis dicitur *ὡς δὲ κύνες περὶ μῆλα δυσωρήσονται ἐν αὐλῇ, veluti canes circum oves difficulter custodiunt in caula*; sicut etiam *κύνες* dicuntur *Iliad. O* vers. 271 iidem Graeci, tamquam fugan-

tes, et persequentes leonem, nempe Hectorem subito apparentem, et omnes ardenter avertentem. Sic etiam canes Vlyssi reduci accurrentes apud Homerum *Odyss.* Ξ vers. 29 vocantur *ὑλακόμωροι latrantes custodes;* ut proinde malorum patronus tamquam canis allatrans nitatur clamoribus avertere noxam, et poenam a sui similibus. Si quis vero haec non de cliente, sed de se ipso dicta velit ab amico, et patrono improborum, tunc oporteret *αὐτὸν*, quod est in codice, scribere *ἑαυτὸν*, vel *ἑαυτὸν*, appicto nempe *δασείας* signo vocis initio; quod si quis malit, me non admodum repugnantem habebit.

(11) *Κρίσις* est iudicium condemnatorium, aut etiam capitale, quod notavit etiam Perizzonius ad Aelianum *Var. histor.* lib. III cap. 36. Ita fere passim acci-

pitur in libris novi testamenti; neque illud *κρίμα ἐσθίει, iudicium sibi manducat*, I ad Corinth. cap. XI vers. 29 aliter intelligi potest. Alexius Symmachus Mazochius in *Calend. Neapolitano* pag. 559 ait, vocem *κρίσις* in actis martyrum significare *gehennam*. Iacobus Martorellius vero in *Theca calamaria* pag. 297 ad 306 in eo est, ut probet, etiam pro martyrio, seu condemnatione ad mortem accipi posse in martyrum actis, adducens inscriptionem graecam christianam repertam Romae extra portam Capenam ad cryptas Divi Sebastiani, quae dein accessit monumentis antiquis Cardinalis Dominici Passionei, quaeque recensetur in sylloge veterum inscriptionum penes ipsum exsistentium, Lucae edita anno MDCCLXIII opera, et studio Benedicti Passionei, fratris filii, et

Praesulis spectatissimi, class. XIV num. 14 pag. 138. In hac enim inscriptione, quae praeter praefatos adducta etiam est a Xaverio Matthaeio in eius opere, quod inscribitur *Libri poetici della bibbia* tom. II pag. 22, et a Ioh. Francisco Confortio in *Volumine parascevatico in theologiam, et divinam oeconomiam* par. I cap. 25 pag. 320 legitur inter cetera:

ΚΑΙ ΗΛΙΟΥ ΗΜΕΡΑ
ΚΡΙCΙC ΜΟΥ ΓΕΓΟΝΕΝ,

idest: *et solis die*
capital iudicium meum,
seu *martyrium meum accidit;*

quod in sylloge Passioneiana interpretatum est: *solutio mea contigit; quasi λύσις legeretur, non κρίσις.*

(12) *Τὸ ὅλον*, quod occurrit etiam ad calcem cap. X *περὶ μικρολογίας*, *de sordi-*

da parsimonia, respondet formulae alteri τὸ κεφάλαιον, *in summa, summatim ut dicam, breviter, verbo ut omnia complectar,* quae habentur ad calcem cap. II περὶ κολακείας, *de adulatione*. Vtraque est concisa, et elliptica locutio apud Graecos, in quo dicendi genere, ut observat Iacobus Duportius ad hunc capitis II locum, verbum ἐστὶ raro exprimitur, sed plerumque reticetur; quales sunt et illae phrases τὸ λοιπὸν, τὸ μέγιστον, τὸ πλεῖστον, τὸ ἔσχατον, τεκμήριον δὲ, σημεῖον δὲ, τέλος δὲ, et cetera similia.

(13) Proverbium hoc addendum ceteris, quae Theophrastus in suis characterum capitibus usurpavit, quaeque uno loco complexus est Casaubonus in indice v. *Proverbia*. Manuscripti codicis scripturam sequentes scripsimus ὅμοιον, non

ὁμοῖον. Siquidem recentiores Attici scripserunt ὅμοιον, cum veteres tenerent accentum in penultima, scriberentque etiam ὁμοίϊον. Porro haec vox ὁμοῖος est ab ὁμὸς, sicuti ab ἄλλος est ἀλλοῖος. Aristoteles lib. VIII *Moralium* habet, quod huic proverbio respondeat: ὅμοιον ὁμοίου ἐφίεται, idest *simile appetit simile;* cui consonum est, quod habet insuper lib. IX ὅμοιον ὁμοίῳ φίλον, idest *simile simili amicum*, quod in tritum migravit adagium, ad quod plura adnotarunt affinia scriptorum dicta Desiderius Erasmus chiliad. I cent. II *adagiorum*, et Paullus Manutius in eodem opere ab ipso recognito, et emendato.

ΚΕΦ. Λ.

Περὶ αἰσχροκέρδειας.

Ἡ δὲ αἰσχροκέρδειά ἐστι περιουσία κέρδους αἰσχροῦ. Ἔστι δὲ τοιοῦτος ὁ αἰσχροκερδὴς οἷος ἐσθίων, ἄρτους ἰκανοὺς μὴ παραθεῖναι, καὶ δανείσασθαι περὶ [1] ξένου παρ' αὐτῷ καταλύοντος· καὶ διανέμων μερίδας φῆσαι δίκαιον εἶναι δίμοιρον [2] τῷ διανέμοντι δίδοσθαι, καὶ εὐθὺς αὑτῷ νεῖμαι. [Καὶ οἰνοπωλῶν [3] κεκραμένον τὸν οἶνον τῷ φίλῳ ἀποδόσθαι· καὶ ἐπὶ ϑέαν τηνικαῦτα [4] πορεύεσθαι, ἄγων [5] τοὺς υἱοὺς, ἡνίκα προῖκα φανερὰ [6] ἐπὶ ϑεάτρων. Καὶ ἀποδημῶν δημοσίᾳ, τὸ μὲν ἐν τῆς πόλεως ἐφόδιον οἴκοι καταλιπεῖν, πα-

ρὰ δὲ τῶν συμπρεσβευόντων δανείσασθαι [7]· καὶ τῷ ἀκολούθῳ μεῖζον φορτίον ἐπιθεῖναι [8], ἢ δύναται φέρειν, καὶ ἐλάχιστα [9] ἐπιτήδεια ἄλλων παρέχειν [10]· καὶ ξενίων [11] δὲ μέρος τὸ αὐτοῦ ἀπαιτήσας [12] ἀποδόσθαι· καὶ ἀλειφόμενος ἐν τῷ βαλανείῳ, καὶ εἴπερ σαπρόνγε τὸ ἔλαιον [13] παιδαρίῳ, τῷ ἀλλοτρίῳ ἀλείφεσθαι [14]· καὶ τῶν εὑρισκομένων χαλκῶν ὑπὸ τῶν οἰκείων ἐν ταῖς ὁδοῖς [15], δεινὸς ἀπαιτῆσαι τὸ μέρος, κοινὸν [16] εἶναι φήσας τὸν Ἑρμῆν.]

Καὶ ἱμάτιον ἐνδῦναι πλύναι, καὶ χρησάμενος περὶ γνωρίμου ἐφελκῦσαι πλείους ἡμέρας, ἕως ἂν ἀπαιτηθῇ· [καὶ τὰ τοιαῦτα [17]. Φειδομένῳ [18] μέτρῳ τὸν πύνδακα [19] πεπρουμένῳ [20] μετρεῖν αὐτὸς τοῖς ἔνδον, σφόδρα δὲ ὑποσπῶν [21] τὰ ἐπιτήδεια [22], ὑποπριάσθαι

φίλου δοκοῦντος πρὸς τρόωου πωλεῖ-
σθαι [23]· καὶ χρέος δὲ ἀωοδιδοὺς [24] τριά-
κοντα μνῶν, ἔλαττον τέτταρσι [25] δρα-
χμαῖς ἀωοδοῦναι·] καὶ τῶν υἱῶν δὲ
μὴ πορευομένων εἰς τὸ διδασκαλεῖον
τὸν μῆνα ὅλον διὰ τὴν ἀῤῥωστίαν ἀφαι-
ρεῖν τοῦ μισθοῦ κατὰ λόγον· καὶ τὸν
ἀνθεστηριῶνα μῆνα μὴ πέμωειν αὐ-
τοὺς εἰς τὰ μαθήματα διὰ τὸ ϑέας εἶ-
ναι πολλὰς [26], ἵνα μὴ τὸν μισθὸν ἐκτί-
νῃ [27]. Καὶ περὶ παιδὸς νομιζόμενος ἀωο-
φορὰν τοῦ χαλκοῦ τὴν ἐωικαταλλαγὴν
προσαωαιτεῖν, [28] καὶ λογισμὸν δὲ λαμ-
βάνων παρὰ τοῦ [29] χειρίζοντος· [φρά-
τορας ἑστιῶν [30] αἰτεῖν τοῖς ἑαυτοῦ παι-
σὶν ἐκ τοῦ κοινοῦ ὄψον· τὰ δὲ κατα-
λειωόμενα ἀωὸ τῆς τραωέζης ῥαφανί-
δων [31] ἡμίσεα [32] ἀωογράφεσθαι, ἵνα οἱ
διακονοῦντες [33] παῖδες μὴ λάϐωσι·]

συναωοδημῶν δὲ μετὰ γνωρίμων χρήσασθαι τοῖς ἐκείνων παισὶ, τὸν δὲ ἑαυτοῦ ἔξω μισθῶσαι, καὶ μὴ ἀναφέρειν εἰς τὸ κοινὸν τὸν μισθόν. Ἀμέλει [34] δὲ καὶ συναγόντων παρ' ἑαυτῷ ὑποθεῖναι τῶν παρ' ἑαυτῷ διδομένων ξύλων, καὶ φακῶν, καὶ ὄξους, καὶ ἁλῶν, καὶ ἐλαίου τοῦ εἰς τὸν λύχνον· καὶ γαμοῦντος τινὸς τῶν φίλων, καὶ ἐνδιδομένου ζυγατρὸς πρὸ χρόνου τινὸς ἀωοδημῆσαι, ἵνα μὴ προωέμψῃ [35] προσφοράν· καὶ παρὰ τῶν γνωρίμων τοιαῦτα νιχρᾶσθαι, ἃ μή τ' ἂν ἀωαιτῆσαι, μή τ' ἂν ἀωοδιδόντων ταχέως ἀντινομίσαι [36].

CAP. XXX.

De turpi lucro.

Turpilucrum vero est abundantia lucri foedi. Est vero talis turpi lucri cupidus, qui edens, panes sufficientes non apponat, et mutuetur ab hospite apud ipsum diversante, et distribuens partes asserit duplum distribuenti dari decere, et statim sibi tribuit. Cauponariam artem exercens dilutum vinum amico vendit; et ad spectaculum tunc progreditur ducens filios, quum gratis spectacula fiunt in theatris. Quum peregre proficiscitur ob rempublicam, commeatum quidem urbanum domi relinquit, a collegis vero legationis mutuatur. Pedissequo maius onus imponit, quam ferre possit, et pauciora aliis necessaria praebet. Munerum ve-

ro partem, quam sibi poposcit, vendit. Quum se ungere velit in balneo, etsi puerulo adsit oleum quidem rancidum, alieno ungitur. A familiaribus, si aera secus vias invenerint, solet partem petere, communem dicens esse Mercurium. Et vestimentum dat fulloni lavandum, et ab amico accipiens utendum, plures dies reddere differt, donec sibi expostuletur. Sunt et alia huiusmodi. Parca mensura ad fundum concussa metitur ipse iis, qui sunt intus, necessaria autem multum subtrahens subemit, amico existimante secundum modum vendita. Si vero opus habeat solvere triginta minarum debita, minus quatuor drachmis pendit. Filiis mensem integrum schola non adeuntibus ob aegrotationem, subtrahit de mercede pro inita ratione. Mense vero anthesterionis non mittit eos ad insti-

tutiones, eo quod plura fiant spectacula, ne mercedem solvat. Tum a servo tributum repetente aeris commutationem exigit, et rationem accipit ab administrante. Tribules convivio excipiens pro sui ipsius pueris ex communi opsonium petit, relicta vero ex mensa raphanorum dimidia adnotat, ne ministrantes pueri arripiant. Peregre autem proficiscens cum amicis utitur illorum servis, suum vero foris mercede locat, nec in commune mercedem confert. Quinetiam congregans quosdam *apud se ipsum supponit* ipsis *de lignis sibi datis, de lentibus, de aceto, de salibus, et de oleo ad lucernam. Et si quis amicorum nupserit, et elocaverit filiam, ad tempus aliquod peregre abest, ne praemittat oblationem. Tum ab amicis talia mutuatur, quae neque repetuntur, neque persolventibus cito reportantur.*

ADNOTATIONES

AD CAPVT XXX.

(1) Videretur legendum esse *παρὰ* pro *περὶ*, sed cum sequatur statim *παρ' αὐτῷ* retinendum censuimus *περὶ*, quandoquidem inconcinnus esset eiusdem praepositionis tam propinquus concursus. Addidit ad hoc nobis animum Francisci Vigerii auctoritas, qui in opere *De praecipuis graecae dictionis idiotismis* cap. IX sect. VII reg. VI pag. mihi 412 ait *περὶ* interdum, sed raro, sumi pro *παρὰ*, quod comprobat loco quodam Aristidis in *Panathen.*, ubi dicitur *μετὰ τοιαύτην τιμὴν περὶ τῶν θεῶν αὐτοῖς ὑπάρξασαν*, *post tantum hono-*

rem, quem a Diis consequuti erant; nisi perperam ibidem legatur *περὶ* pro *παρὰ*. Ceterum novus hic Theophrasti locus rem facere certiorem posset.

(2) In codice ms. legitur *διμοίρῳ*, sed incorrecte; hinc substituimus *δίμοιρον*.

(3) Vncis [ ] concludere visum est totum id, quod antea innotuerat ex capite XI *περὶ βδελυρίας, de impuritate*, quodque pluribus nos designavimus in praefatione §. VII.

(4) Quoniam nobis proposuimus inhaerere lectionibus codicis nostri Vaticani, ubi et sensui, et syntaxi graecae linguae conveniant, eas idcirco in textu servavimus, adnotatis tamen singulis lectionum varietatibus, quae in editis reperiuntur. Quare primum monebimus, in editis heic legi *καὶ ἐᾶι θέαν ἡνίκα ἂν δέῃ*

πορεύεσθαι, qui locus utpote aperte mendosus, et corruptus exagitavit omnes Theophrasti interpretes, et adnotatores, quorum coniecturas expendens Fischerus Pauvvii emendationem recepit, quae licet felix, et docta videri possit, lectioni tamen codicis Vaticani concinnae, et clarae concedat oportet.

(5) In editis *ἀπιὼν τοὺς ὑιεῖς*, ubi Galeus recte ex ingenio *ἄγων* substituerat.

(6) In codice Vaticano compendiarie scribitur *φὰ*, quod nos non aliter legendum censuimus, quam *φανερὰ*, quasi quae in theatris sunt omnibus *conspicua*, nempe spectacula. Hoc fecimus, ne a litteris codicis, quibus inhaerere interpretes, dum licet, oportet plurimum, nimis licenter discederemus. Ceterum si quis legere malit *φαίνεται ἐῶι θεάτρων patet* ingressus *in*

theatra, non abnuam omnino; quemadmodum nec improbo lectionem, quae est in editis: *ἀφιᾶσιν οἱ θεατρῶναι, intromittunt redemptores theatri*. Neque heic absonum erit exponere lectionem omnem, quae et superiora comprehendat, codicis ms. Caesarei Vindobonensis, olim Nesseliani, num. CCXXXVIII saeculi XV, cuius variantes lectiones quoad caput XI obtinuimus beneficio clarissimi, amplissimique S. R. E. Card. Iosephi Garampii, quem numquam pro suis meritis, nostraque in ipsum observantia satis laudabimus. Ibi enim sic legitur totus hic locus, nec quidem absone: *καὶ ἐπὶ θέαν ἡνίκ' ἂν δέῃ πορεύεσθαι, ἀπίων τοὺς υἱεῖς, ἡνίκα πρῶικα ἀφίασιν οἱ θεατρῶναι*. His addo, codicem Mediceum Laurentianum saeculi XV num. XXIII plut. LXXX, heic ubi legitur *ἀφίασιν*, ha-

bere ἀφιῶσιν, quemadmodum accepimus a viro cl. Angelo M. Bandinio eidem bibliothecae praefecto, qui singulas variantes lectiones capitis XI, praetermissas a Leonardo Riccio, et in quatuor mss. codicibus exstantes nobiscum communicare sategit.

(7) In editis legitur συμπρεσβευτῶν δανείζεσθαι. In codice bombycino saeculi XII sign. num. 374, quem habet bibliotheca Barberina, et de quo aliqua attigimus in praefatione §. IV, habentur nonnullae variantes lectiones, quas ex humanitate viri eruditissimi Casparis Garatonii extrahere licuit, quaeque attentione dignae sunt, utpote quae cum codice Palatino-Vaticano interdum conveniant quoad ea, quae hucusque capiti XI adhaeserunt; ut nunc praeteream in elencho capitum, qui

prooemio subiungitur, haud reticeri titulos *φιλοτιμηρίας*, et *αἰσχροκέρδειας*, dum tamen absunt integra capita, ut proinde recte dici possit haberi titulos sine re. Quare hoc loco pro *συμπρεσβευτῶν*, ut habent edita, et pro *συμπρεσβευόντων*, ut habet codex Palatino-Vaticanus, legitur in codice Barberino *συμπρεσβέων*.

(8) In editis verborum transpositio habetur sic: *καὶ τῷ ἀκολούθῳ ἐπιθεῖναι μεῖζον φορτίον, ἢ κ. τ. λ.*

(9) In editis legitur dumtaxat: *καὶ ἐλάχιστα ἐπιτήδεια τῶν ἱκανῶν*, quae verba Pauvvius putavit pendere a superiori verbo *ἐπιθεῖναι*; sed cum id merito non arrideret Fischero, ipse ex ingenio substituit *δοῦναι*, quod respondet *παρέχειν*, ut habet perspicue, recteque omnino codex Vaticanus. Parum nos immorabimur

in propugnanda voce ἐλάχισ⸗α, cui Stephanus, Lycius, et Reiskius citra necessitatem substituerunt ἐλάτ⸗ω. Notum enim iam est grammaticis omnibus, idque etiam sapienter, breviterque monet ipse Fischerus hoc loco, superlativum non raro poni a Graecis, etiam Atticis, loco comparativi. Praeterquamquod mirandum venit, cur huic loco potissimum vim inferre tentaverint laudati scriptores, qui superiori capite, quod est *X*, *περὶ μικρολογίας*, *de sordida parsimonia*, sive *de studio in minimis*, ut vertit Petronius, intactam reliquerant eamdem vocem eodem sensu adhibitam. Ibidem enim legitur *ἀπάρχεσθαι ἐλάχισ⸗ον τῇ Ἀρτέμιδι τῶν συνδειπνούν⸗των*, *libat minimum Dianae omnium convivarum*, id est *minus omnibus convivis*. Consule, si libet, alia exempla ex Aristo-

tele apud Casaubonum hoc loco pag. mihi 248, et 249, et aliud ex Euripide apud Barnesium in adnot. ad oden XLVI. Anacreontis, ubi etiam videre est ab Anacreonte usurpatum vice versa comparativum pro superlativo.

(10) Hoc verbum *παρέχειν* adhibetur a Theophrasto cap. XV, ubi dicitur: *πράγματά μοι μὴ πάρεχε, noli mihi negotium facessere.*

(11) In codice mendose legitur *ξενὸν*, et deest praepositio *ἀπὸ*, et articulus praepositivus *τῶν*, quae omnia facile abesse possunt, quin laedatur syntaxis. Ceterum *ἀπὸ ξενίων* habet etiam laudatus superius codex Vindobonensis Nesselianus.

(12) Casaubonus ad cap. XV pag. mihi 259 observat verbum *ἀπαιτεῖν* proprie significare *reposcere rem suam*, quod

etiam transfertur ad ea, quae quis non nisi audacter, aut ex gratia petat, ut heic, et alibi. Inferius occurret in proprio sensu usurpatum.

(13) Theophrastus etiam cap. XIX vitium hominis *δυσχερῶν* notaverat *ἐλαίῳ σαπρῷ ἐν βαλανείῳ χρῆσθαι, oleo in balneis uti rancido.*

(14) Hic locus paullo aliter legitur in editis, scilicet *καὶ ἀλειφόμενος ἐν τῷ βαλανείῳ, καὶ εἰπὼν, σαπρόνγε τὸ ἔλαιον ἐπρίω, τῷ παιδαρίῳ· τῷ ἀλλοτρίῳ ἀλείφεσθαι.* Auberius, et Reiskius huic loco medicinam facere tentarunt, suasque dubitationes adlevit Fischerus. Nos Vaticano codici adhaerentes, lectionem proponimus, quae magis arrideat; licet fateamur, substituendum forte verbum *ἦ* vel *παρῆ*, quo sensus constet, vel clarior sit, ubi dicitur

καὶ εἴπερ σαπρόνγε τὸ ἔλαιον παιδαρίῳ παρῇ, et licet puerulo adsit oleum quidem rancidum. Nec quidquam idcirco imminuitur *τοῦ αἰσχροκερδοῦ* foeditas; siquidem habeas sordidum plane hominem parcentem proprio oleo, etsi rancido, dummodo alieno se ungat; immo exosiorem eo ipso, quem cap. XIX notaverat Theophrastus, et de quo nos locum adduximus superiori adnotatione. De puero vero, qui hero in balneis administrabat unguenta, qui VNGVENTARIVS dicebatur, de quo veteres scriptores loquuntur, et cuius exstant signa marmorea cum gutto, et spongia in veterum monumentorum museis, vide Laurentium Pignorium *De servis* cap. VII pag. mihi 42. *Παιδαρίῳ* habent omnes codices et editiones; at bini codices bibliothecae Mediceae Laurentianae, codex nem-

pe saec. XV num. XVIII plut. LX, et codex saec. XIV num. III plut. LXXXVI habent *παιδίῳ*.

(15) Imprimis in editis occurrit verborum transpositio sic: *καὶ τῶν ἐυρισκομένων χαλκῶν ἐν ταῖς ὁδοῖς ὑπὸ τῶν οἰκετῶν*. Tum advertendum est haberi in editis *οἰκετῶν* loco *οἰκείων*, licet utrumque bene se habeat. Codex bibliothecae Vindobonensis, cuius supra meminimus, legit hoc loco *ἀπὸ τῶν οἰκετῶν*.

(16) Apud Aristotelem *Rhetor.* lib. II habetur *κοινὸς Ἑρμῆς*, ubi consulendus Petrus Victorius, qui plura adducit, quibus rationem reddat, cur Mercurius dictus fuerit communis, atque ad hunc locum etiam provocat, quin Theophrastum auctorem ciat; siquidem iam monuimus in praefatione §. IX. Victorium huic Theo-

phrasti operi falsitatis notam affinxisse; nequicquam. Hinc nos inter utrumque uncum complectimur potiorem partem illius pericopes, quae iam typis prodierat tamquam capitis XI textura.

(17) Superior periodus extra uncos comprehensa nunc primum prodit ex codice Vaticano. Sequuntur cetera, quae iam coniuncta capiti XI probe innotuerant, quaeque iterum uncis conclusa exhibemus. Sane, quae iam procedunt, superaddita a Theophrasto deinceps videntur; si quidem *τὰ δὲ δὴ τοιαῦτα*, ut habent edita, non aliud portendunt, quam haec, aut similia: *etiam haec sunt eiusdem generis, ac ea, quae diximus*. Ceterum Fischerus in lexico vocum a Theophrasto adhibitarum haec ait: „ Atque priore qui„ dem loco verba illa videntur propterea

„ addita esse a Theophrasto, quoniam ea,
„ quae sequuntur, non respondent de-
„ scriptioni δυσχέρειας propositae. Sed in-
„ tercedit tamen iis cum superioribus hac-
„ tenus similitudo quaedam, quia et ipsis
„ offenduntur aures, oculi, animus". Nunc vero haec ipsa suum nacta locum, et homini αἰσχροκερδῆ afficta produnt dumtaxat additionem ὁμόλογον superioribus. Verum codex Vaticanus habet tantummodo καὶ τὰ τοιαῦτα, quae nos retinemus, quaeque nec displiceant singulis interpretibus de iisdem sollicitis, nec egeant postremis Pauvvii, et Reiskii coniecturis. Fere similia habet Sophocles *Electr.* vers. 698, scilicet καὶ ταῦτα μὲν τοιαῦτα, quae Petronius noster in sua neapolitana editione ita vertit: *et haec quidem ita sunt acta;* nec aliter Michael Angelus

Iacomellius in sua metrica italica versione. Eo enim recidunt, ac si diceretur: *atque hae quidem sunt huiusmodi*. Fere eadem verba occurrunt apud ipsum Sophoclem in *Oedip. Colon.* vers. 64: *τοιαῦτά σοι ταῦτ' ἐστίν*. Sic quoque apud Aristophanem in *Plut.* vers. 8. *Καὶ ταῦτα μὲν δὴ ταῦτα*, ubi scholiastes haec habet: *Τὸ δὲ ταῦτα, τὸ δεύτερον οὐκ ἔστι ἀντὶ τοῦ ταύτη, ὡς οἴονταί τινες· ἀλλ' ἀντὶ τοῦ ταῦτα* (lege *τοιαῦτα*) *πάλιν ἀττικῶς*.

(18) Expendamus prius voces iuxta codicem nostrum Vaticanum, ex quibus dein accuratiorem sensum elicere satagemus. Quare codex Vaticanus legit *φειδομένῳ μέτρῳ*, ut habet etiam laudatus alibi codex Barberinus, dum in editis legitur *φειδωνίῳ μέτρῳ*. Cohaeret sane sensui, qui mox sponte erumpet, participium medium

praesens φειδομένῳ in dandi casu, quod est a φείδομαι, *parco*, quodque nos editorum lectioni praeferimus, etsi recepta passim lectio τοῦ φειδωνίῳ referatur ad nomen Phidonis, qui fuit frater Carani Argivi conditoris regni Macedonici, quique mensuras ex veterum fide invenit, vel qui et re, et nomine parcus fuit, ut Sylburgius putavit; licet qualis fuerit haec phidonia mensura, nemo eorum, qui de mensuris scripserunt (atque eos sexcentos quidem numeres) prodere adhuc nequiverit. Quare forte non erat a Fischero reprehendendus Salmasius, quod in libro *De usuris* pag. 430 censuerit verba illa tamquam ex aliquo veteris comici versiculo profecta, efferenda esse φείδωνι μέτρῳ pro φειδῷ, *parco, et nimis modico*, quae sane ad lectionem codicis Vaticani aliqua ratione

accedere videntur; quemadmodum *παρὰ τὸ φείδεσθαι, a parcendo*, hoc mensurae genus nuncupatum ab Atheniensibus existimavit hoc loco Cebà noster.

(19) Heic codex Vaticanus mancus, et mendosus est ex amanuensis vel ignorantia, vel dubietate, qui haec ex antiquiore codice exscribens, in quo litterae essent evanidae, non ausus est quidquam ex ingenio supplere, ac proinde expressit eas tantum litteras, quas perspicue exstantes deprehendit, nempe *π δαχ* , quae sane elementa omnia concurrunt ad conformandam vocem *πύνδαχα*, quam habent codices mss., et editiones typographicae.

(20) Edita passim habent *ἐγχεκρουσμένω*. Codex Galei, et Guelferbytanus uterque legit *ἐχχεκρουσμένῳ*, ut et edita nonnulla. Casaubonus, qui lectionem *ἐγχε-*

κρουσμένῳ susceperat, putavit etiam legi posse a quolibet iure suo εἰσκεκρουσμένῳ, vel εἰσκεκρουμένῳ, reiecto σ, qua in re habuit assentientes multos, et dissentientes, pro ut est argutantium grammaticorum pugnax ingenium. Fischerus tandem, ut novi aliquid pro suo lubito afferret, proposuit hanc vocem in ἐσκεκρουσμένῳ refingere, qua non nisi lapidem in acervum Mercurii misisse videtur, variantium cumulum inutiliter augens. Quare per nos stet lectio Vaticani codicis κεκρουμένῳ, ut pote quae consona sit generali grammaticorum regulae, qua monemur, non esse assumendum σ in praeterito passivo, cum penultima praeteriti activi longa est, ut hoc loco usuvenit; quamquam tamen deinde grammatici pro aliquo peculiaris scriptoris exemplo verbum hoc

κρούω cum nonnullis aliis ab hac regula exceperint. Ceterum et codex Vindobonensis supra laudatus non dissimili fere ratione legit ἐκκεκρουμένῳ, littera σ reiecta; cui consentiunt quatuor omnes codices mss. bibliothecae Mediceo-Laurentianae, nempe codex saec. XV num. XVIII plut. LX, codex saec. XIV num. XXV plut. eiusdem, codex saec. XV num. XXIII plut. LXXX, et codex saec. XIV num. III plut. LXXXVI. Verbum hoc quidem proprie adhibetur pro indicanda mensurarum fallacia. Hinc apud Hesychium est: ὥςτε μήτε κρούσαι, μήθ' ὑπὲρ χεῖλος βαλεῖν, hoc est *ut neque agites, neque super labrum iacias*, scilicet nihil prorsus desit, nihil redundet. Insuper χρουσιμετρεῖν, *mensuras agitare* dicitur de avaris, fraudulentis, aliisque in emptionibus, et venditionibus

defraudantibus, ut est apud eumdem Hesychium. Hoc verbum *κρούειν* adhibuit tandem Phocylides bonae mensurae praeceptum tradens vers. 12:

Μέτρα νέμειν τὰ δίκαια· καλὸν δ' ἐῶι μέτρον ἅπασι·
Σταθμὸν μὴ κρούειν ἑτερόζυγον, ἀλλ' ἴσον ἕλκειν.

Mensuras tribue iustas; quoniam modus in omnibus bonus est.
Lancem ne impellas in alteram librae partem, sed aequalem trahes.

Superabundantis vero mensurae qualitates ita exprimit sacer textus Lucae cap. VI vers. 38: *μέτρον καλὸν, πεπιεσμένον, καὶ σεσαλευμένον, καὶ ὑπερεκχυνόμενον δώσουσιν εἰς τὸν κόλπον ὑμῶν, mensuram bonam, pressam, et agitatam, et supereffluentem dabunt in sinum vestrum.* Notum est

etiam, stateram dolosam abominabilem apud Deum haberi *Proverbior.* cap. XI vers. 1, ut proinde iustae mensurae praescribantur etiam *Levitici* cap. XIX verss. 35 et 36, et *Deuteronom.* cap. XXV verss. 13, 14 et 15.

(21) Edita habent *ἀποψῶν, abstergens*, quod verbum probe convenit mensuris; siquidem instrumentum, quo *μέτρον* stringitur, et abraditur, quodque latine dicitur *hostorium, radius*, et *radiolus* a radendo, graece audiat *ἀπόψησμον*, licet dicatur etiam *ῥόχανον, σκυταλὶς, παρεκτήριος*, et *ἀπόμακμρον*. Sed nihil vetat legere cum codice Vaticano *ὑποσπῶν, divellens, subtrahens*.

(22) Demensum, seu necessaria, quae servis singulis mensibus pendebantur, non aliud erant, quam cibaria, et praesertim

frumentum, quod metiebantur; ut proinde demensum in *Lucae Evang.* cap. XII vers. 42 vocetur *σιτομέτριον*. Insuper ad rem nostram dicitur a Theophrasto cap. X de homine sordide parco *εἰςωράξαι ἀπὸ τῶν ἐπιτηδείων*, *detrahere de demenso* pretium ollae, aut patinae, quam servum fregisse contigerit.

(23) In editis legitur dumtaxat: *ὑποπρίασθαι φίλου ἐπιλαβὼν ἀποδόσθαι*. Hanc lectionem, mancam quidem, et obscuram mire exagitarunt Interpretes omnes. Auberius et Stephanus *ὑποπρίασθαι* legi iubebant *ὑποποιεῖσθαι*. Casaubonus induxit *ὑπέγγιόν τε παρὰ φίλου τι λαβών*. Furlanus emendavit *καὶ πριᾶσθαι, καὶ ἐπιλαβὼν φίλου ἀποδόσθαι*. Cebà proposuit ita legere: *καὶ ἔπου πρίαται φίλος ἐπιλαβὼν ἀποδόσθαι*. Suartius reposuit *ἵππον χρᾶσθαι φίλου*, vel

ἵππον αἰτεῖσθαι ἀπὸ φίλου. Tandem Pauvvius ὑπαιρεῖσθαι legendum praebuit, licet tamen ὑφαιρεῖσθαι legendum videretur. Sed praeterquamquod omnes has cerebrosas emendationes ingeniose reiecit Fischerus (si Cebanam excipias, quae ipsum latuit), lectio codicis Vaticani omnia aegrorum grammaticorum somnia profligat, ut exorientis solis radii nebulas fugant, atque dispellunt; quod quidem de ipsa Fischeriana lectione, quae est ὑποπρίασθαι, quaeque haud ceteris concinnior est, pronunciandum venit. Neque heic tacenda lectio codicis Barberinii, quae habet ὑποπιᾶσθαι, quaque quid *supprimens* venditor protenditur, ceteris cum editorum lectione convenientibus. Sed cum reliquorum verborum sensus in obscuro relinquatur, semper retinenda videtur expressa iam a

nobis Vaticani codicis lectio quoad singulas voces. Hanc vero Vaticani codicis lectionem, sane accuratissimam, quam in textum recepimus, adnotaverat etiam Petronius noster ad cap. XI in ima ora pag. 44 imperfectae, abruptaeque suae editionis; siquidem haud ipse ausus fuerat, uti sane poterat, immo debebat, hunc locum ab eo capite subducere, ut dein XXX capiti, veluti fundo suo, coalesceret. Quare singulis vocibus per nos hactenus expensis, iam emergit clarissimus sensus celebris huius loci, quo nullus sane antea fuerat penes Theophrastum corruptior, atque intricatior. Etsi enim auctoris mens fere ab omnibus tum latinis, tum italicis, tum gallicis Interpretibus, deprehensa fuisset, tamen nec verba menti, nec omnia omnibus adamussim respondebant. Siqui-

dem apud Casaubonum, cui fere omnes adhaeserunt, legitur: *Phidonia mensura si quid metiatur, eam adhibet, cuius sit fundum collisum, et introrsus adactum: domesticis suis demensum ipse perquam studiose radens metitur* ..... Fischerus cum Needhamio postrema verba interpretatur: *Emit aliquid minore pretio ab amico, et ubi accepit, vendit;* quo lacuna relicta expleri videtur. Cebà vero italice reddidit: *Misura con la bigoncia Fidonia, c'ha il fondo rificcato indentro; egli proprio rade forte alla famiglia la provigion da mangiare* ..... Riccius vero sic habet: *Suole da sè misurare il vitto a quei di casa colla misura picciola, che abbia il fondo rincagnato, e la fa ben rasa.* Tandem Bruyerius ita gallice vertit: *Il distribue à ses domestiques leur provision dans une certaine*

mesure, dont le fond creux par dessous s'enfonce en dedans, et s'éleve comme en pyramide; et quand elle est pleine, il la rase lui-même avec le rouleau le plus près qu'il peut ..... Haec quidem interpretamenta si quis cum nostra versione conferat, ipsam videat, favente lectione codicis Vaticani, rei ipsi, auctoris menti, et graecae syntaxεως regulis prorsus consonam.

(24) In editis ἀμέλει δὲ καὶ χρέος ἀποδιδοὺς, quae quidem lectio etsi recte procedat, tamen nostrae, quae Vaticani codicis auctoritate fulcitur, haud praeponendam censuimus. Ceterum vox χρέη, quam habet idem codex, refingendam censuimus in χρέος, absque eo quod inlata vis dici possit codicis lectioni. Ast si quis malit legi χρέα plurali numero, ut etiam reformationis licentia minor videatur, non

me immorigerum habebit, licet singularis numerus magis arrideat.

(25) Edita habent *τετράσι* a *τετρὰς*, *quaternarius numerus*. Nos *τὸ τέτ⌈αρσι* pro *τέσσαρσι*, ut est in codice Vaticano, adhibuimus, qua voce Theophrasti atticismus magis magisque se prodit.

(26) Elegans haec periodus, quam extra uncos sistimus, ex codice Vaticano nunc primum manavit. Heic vero adnotare iuvabit, mensem *anthesterionem* secundum Theodorum Gazam novembri nostro, et secundum Iosephum Scaligerum (cuius distributio magis probatur, utpote confirmata duabus marmoreis inscriptionibus a Iacobo Sponio in suo *Itiner. Graeciae* relatis) ianuario mensi respondere; licet vir perquam eruditus Caspar Aloysius Odericius in epistola sua ad clariss.

virum Caietanum Marinium *De marmorea didascalia* §. VII pag. XXVII ex duplici Plutarchi loco in vernum tempus incidisse contendat. Graecae porro solemnitates anthesterioni convenientes, quae heic innuuntur, erant mensis initio *ἀνθεστήρια* ipsa, a Lenaeis iuxta Odericium adversus Seldenium, et Ruhnkenium disputantem diversa, et Baccho sacra, cui etiam in Limnis hoc mense ex Thucydide sacrificabatur die decima; tum *ἑορτὴ τῶν χοῶν*, *festum choarum*, in quo die decima tertia meracioribus praemium decernebatur; simulque Minerval, quod, teste Athenaeo, solvebatur eadem die Athenis praeceptoribus; ac tandem *χύτροι*, sive ollare festum in gratiam diluvio enectorum Mercurio, atque etiam Baccho dicatum; Quemadmodum huius mensis dies aliquot fue-

re nefasti, qui proinde ab Hesychio vocantur *μιαραὶ ἡμέραι τοῦ ἀνθεστηριῶνος μηνὸς, ἐν αἷς τὰς ψυχὰς τῶν κατοιχομένων ἀνιέναι ἐδόκουν, nefasti dies, et impuri mensis anthesterionis, quibus mortuorum animas sursum redire arbitrabantur*. De hisce festis, ob quae praeter consuetum maxime feriabantur pueri a studiis, et quae ob Minerval *αἰσχροκερδὴς* summopere refugiebat, agit Petrus Castellanius in suo *De festis Graecorum syntagmate*, cui tractatus *De Graecorum, et praecipue Atheniensium mensibus, et anno* adnectitur, et Iohannes Meursius lib. I *Graeciae feriatae* col. 797 et seqq. tom. III eiusdem operum a Ioh. Lamio Florentiae anno MDCCXLIIII editorum.

(27) Codex Vaticanus heic in mendo cubat, cum legatur *ἐκτίναι* pro *ἐκτίνῃ*.

(28) Hoc in summa aeris egestate, qua fit, ut pecunia pretii, et mercis vices uno tempore subeat (quod est maxima oeconomici systematis in re publica inversio, et perturbatio) passim Romae ab avidis mercatoribus cum institoribus suis, et a sordidis heris cum famulis peractum conspicimus.

(29) Scilicet apud Hesychium habetur *χειρίζειν*, *διοίκειν*, *administrare*.

(30) Quae sequuntur uncis comprehensa iam ex cap. XI, ut et cetera, innotuerant, quibus absolutis, reliqua uti hactenus anecdota haberi debent. Vox *ἐσθιῶν*, quam heic exhibemus, deest in codice Vaticano, eamque ex editis supplemus. Insuper monere iuvat in laudato superius Vindobonensi codice legi *ἐκ τοῦ ὄψου*, ut et in Vaticano nostro codice, non autem *ὄψον*, ut in editis.

(31) Raphanos in mensis locum obtinuisse apud veteres, indicat V tabula ex VII dapiferorum pictis tabulis ad Lateranum detectis, et a nobis non ita pridem Romanis typis evulgatis, et illustratis, in qua conspiciendus venit servus patella septem raphanos apponens, quamque nos exponentes Galeni, et Luciani testimonia adduximus, quae heic haud iuvat reponere.

(32) In editis habetur verborum transpositio, et lectionis varietas, scilicet *ἡμίση τῶν ῥαφανίδων*. Barberinus codex habet, ut codex noster, *ἡμίσεα*. Neque etiam tacebo, in codice Laurentiano saeculi XV num. VIII plut. LX, et in codice saeculi XIV num. III plut. LXXXVI abesse praepositionem *ἀπὸ* ubi in editis legitur hoc loco *ἀπὸ τῆς τραπέζης*.

(33) Singuli quatuor codices bibliothecae Laurentianae superius citati, ubi edita habent *ἵνα οἱ διακονῦντες*, legunt *ἵν' οἱ διακονῦντες*. Tum bini, nempe ii ipsi, quos in superiori adnotatione laudavimus, pro *λάβωσιν*, ut habent edita, sive *λάβωσι*, ut habet codex saec. XV num. XXIII plut. LXXX, legunt *λάβοιεν*, quod sane est contra communem grammaticorum regulam, qua *ἵνα* regere statuunt modum subiunctivum, non autem optativum.

(34) Superius, ut adnotavimus suo loco, adnotat. 24, habetur in cap. XI haec vox *ἀμέλει*, quae cum sonet *quinetiam*, ad calcem potius apponenda videbatur, ubi nimirum, sicuti hoc in loco, cetera insuper similia adiiciuntur, quae in editis desiderantur.

(35) Mendose in codice *προκέμψη*, quod legendum *προσέμψη*.

(36) Cum codex Vaticanus multis scateat litterarum nexibus, vox haec vel legi potest *ἀντισκόμισαι*, ut nobis singulos litterarum apices sedulo obtutu insequentibus visum est, vel *ἄν τις κομίσατο*, ut legendum existimavit vir graece scientissimus Iosephus Spallettius in Vaticana bibliotheca graecae linguae scriptor, quem in consilium adhibuimus, quique nobis in conferendo apographum nostrum cum autographo se ultro adiutorem adiunxit. Quamquam haec lectio recte procedere posset, tamen ut antecedens verbum *ἀπαιτῆσαι* respondeat subsequenti, de quo loquimur, *ἀντικομίσαι* legendum omnino censuimus.

IOHANNES CHRISTOPHORVS
AMADVTIVS
BODONIO SVO
ἐυ χαίρειν

Accepi exemplar primum Theophrasteae editionis typis tuis expressae, quod spectatissimus Eques Azara noster comiter ad me perferendum curavit. Quid quaeris? Video te semper tui similem, scilicet excudentem perpetuo libros ea typorum elegantia, quae oculos rapiat, et novam quodammodo excitet admirationem. Ea enim est excellentium operum conditio, ut licet quae antea edita sunt opera, pari similique polleant nitore, tamen quae novissime prodierunt, insigniori, atque insue-

ta elegantia praestare videantur, simul vero comparata ita inter se singula de concinnitatis principatu contendant, ut cui palmam tribuas, nescias, et ne cui iniurius sis, neque tuae etiam voluntati immorigerus, nullum pro alio velis deserere. Habes idcirço admirantis ingenium, ex quo qui dein exstiterit meus in te gratus animus, per te ipsum coniicias velim. Clarissimum virum Iosephum M. Pagninium multum amo, cui acceptam referam probatam accuratamque litterarum orthographiam, quemque sollicitum de castigatiori rerum mearum apparatu maxime habuerim. Ceterum levia quaedam excidisse videbis, quae mihi singula attente perlustranti occurrerunt, quaeque e regione emendationum suarum exarata nunc ad te mitto. Scis, quam morosi sint grammatici, quibuscum nobis potissimum res est; praeterquamquod princeps haec editio duorum postremorum capitum additamento aucta exemplar erit futurarum editionum, et ne ex ipsa

vitiosior progenies exoriatur, nostrum est modo providere. Quare his omnibus recte consultum erit, si ad calcem errata haec, quae praesertim paucis numerorum mutationibus, ceterisque levioribus circumscribuntur, cum opportunis emendationibus recenseantur. Qui novit, quot sint casus, quorum fortuito concursu in typographica opera obrepere possint menda, quique experientia didicit, quanta παροράματα etiam diligentiori cuique excidere possint, iam hoc fatum manere libros omnes necessario fatebitur, ut proinde huiusmodi maculis quemquam offendi non liceat. Neminem etiam futurum confido, qui mihi vitio vertat, non omnes me attigisse characterum Theophrasti editiones, quas potissimum referendas in praefatione suscepi. Quis enim ignorat, fere inexhauribilem esse litterariae historiae censum, cum praesertim libros omnes consectari, cunctaque manibus, et oculis propriis usurpare impossibile omnino sit? Ceterum ne, quae

post excusum opus mihi obvenerunt, reticeantur, facit haec ipsa ad te nunc scribendi occasio. Postrema Casauboni editio anni MDCXVII, quae nempe paullo ante Auctoris obitum recognita fuerat, solum nobis occurrerat; ceteraeque anteriores nonnisi ex Fabricio, Fischero, et librorum catalogis innotuerant. Quare etsi Casaubonum generatim asseruerim characterum Theophrasti amplificatorem, qui nempe a capite XXIII ad XXVIII usque opus produxerit, tamen in ancipiti relicta res est quoad annum, quo id primum peregerit. Cum ergo beneficio veteris doctique amici nostri Comitis Caroli Simonettii contrectare licuerit primam Casauboni editionem Lugdunensem anni MDXCII, sive MDXCIII [1], eam carentem postremis quinque capitibus comperi; ut proinde Lugdunensem alteram anni MDXCVIII, sive MDXCIX [2] sedulo conquisierim, quam dein laudatis quinque capitibus instructam nactus sum in Romanis

bibliothecis Angelica, et Barberinia, quaeque proinde omnium iisdem capitibus locupletum editionum prima haberi debeat. Hoc tamen notum etiam fuisse video viro cl. Theophilo Christophoro Harlesio, a quo graecam Fabricii bibliothecam accuratiorem, plenioremque exspectamus, qui nimirum in *Introductione in historiam linguae graecae* [3] id perspicue adnotavit, ubi contractam Fischerianam editionum omnium criticam historiam, quae ad hoc opus pertinet, protulit. Haec investiganti mihi occurrit etiam antiquior Ioh. Angelii Werdenaghenii editio peracta Lugduni Batavorum ex officina Ioh. Maire an. MDCXXXII, cui non nisi posterior anni MDCLIII comperta erat [4]. Sed cur anxius haec persequor, qui sciam hanc esse historiae litterariae sortem, ut nova semper habitura sit spicilegia, quibus ceteri deinceps exerceantur? Illud tamen prodere par est, exstare in bibliotheca Barberinia editionem Lugdunensem, quam su-

pra innui, anni MDCXVII, cui in margine emendationes multas graeci textus adscripsit vir scientissimus Lucas Holstenius, tum et multas addidit variantes lectiones, quibus littera *V* apposita illud protendisse censuerim, eas ex codice aliquo Vaticano fuisse depromptas. Siquidem nuper id mihi patefecit vir eruditissimus Caspar Garatonius laudatae bibliothecae praefectus; quod sane hominem, cui in posterum recudendi Theophrastei huius operis lubido incedat, intellexisse iuvabit. Tuum modo erit, Bodoni spectatissime, id efficere, quo haec tua editio, sicuti egregia typorum venustate praecellit, ita et accurata rerum copia, diligentiaque commendetur. Hoc ut sperem, facit singularis tua in me humanitas, et praeclari animi tui ad optima quaeque facti magnitudo. Vale, et me ama, qui te in oculis gero.

Datis Roma a. d. xvi cal. Octobris
anno CIↃIↃCCLXXXVI.

(1) *Apud Franciscum le Preux*, in 8.. Scilicet in bibliotheca Angelica Augustinensium habetur annus 1592 eidem editioni appositus, nec praeter annum quidquam diversum observandum venit. An id bibliopolarum arte factum fuerit, an alia ex caussa, ignoro.

(2) *Apud Antonium de Harsy*, in 8.. De hac editione idem usuvenit, ac de superiore, quae duplici anni nota citra ullam aliam varietatem insignitur.

(3) *Altenburgi in officina libraria Richteria* 1778, in 8., sect. III §. 9 pag. 231, ubi haec habentur: „ Novum felix- „ que sidus illis characteribus exortum est, n. Isaac. Casau- „ bon.. Hic vero primum Lugduni 1592; iterum 1599, at „ emendatius, additis ex uno cod. Palatino quinque characte- „ ribus; tertium 1612, quae editio saepius repetita est etc. „

(4) Vid. *pag.* 54 *adnot.* (36) ad nostram Praefationem huic editioni appositam.

Errata	*Corrige*
Pag. 9 lin. 17	
Trinacuriano	Triuncuriano
Pag. 10 lin. 2	
XVIII dumtaxat capitum	XXIII dumtaxat capitum
Pag. 50 lin. 5	
facta	fata
Pag. 75 lin. ult.	
ἐνθυγχάνειν	ἐνΓυγχάνειν
Pag. 77 lin. 13	
saeculi IX	saeculi XI
Pag. 80 lin. 12	
non tam pro poenis	decreta non tam pro poenis
Pag. 125 lin. 17	
ἐκ τοῦ ὄψου	ἐκ τοῦ κινοῦ ὄψου